Digitized by Google

5·7.26

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RHETORICÆ PRÆCEPTA

E SELECTISSIMIS AUCTORIBUS COMPILATA

EDIT PRIMO

DOCTOR PETRUS ANTONIUS SANTUCCI DE CORTONA,

Unus ex Preſbyteris Congregationis Oratorii DIVI PHILIPPI NERII ejuſdem Civitatis.

VENETIIS,

MDCCXLVIII.

Excudebat Joannes Baptista Recurti.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

5
7
26

Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. D.

GABRIELI RICCARDIO

Viro nobiliſſimo, & Ampliſſimo, Patritio Florentino Marchioni eximio Metropolitanæ Eccleſiæ Florentinæ Canonico

PETRUS ANTONIUS SANTUCCI

DEDICO CONSECROQUE.

QUÆ magna ſunt, eadem & magnis deberi iiſque ſolis nuncupanda fore, nemo unquam inficias ivit, Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine. Cum enim omnibus a natura comparatum ſit, ut cœli faciem obviam ſibi quiſque contempletur; huic profecto totius Orbis ſublimiſſimæ parti, & non alii, ea quæ Orbis ipſius ſublimiſſimæ ornamenta ſunt, nempe ſydera, ab eademmet natura merito donata fuiſſe facile ipſe animadvertat, ne-

ceſſe eſt. Quæ quum ita ſe habeant, quid eſt, quod quiſpiam mirari debeat, me tibi uni potiſſimum inter ceteros horum temporum maxime egregios Viros audacius adſurrexiſſe, cui tanquam Mecœnati ſpectatiſſimo Lucubrationem hanc meam obtulerim, ac conſecrarim? Magna quidem eſt Sapientium omnium judicio bene dicendi Ars, cujus præceptiones optimæ, & dogmata veriora hic continentur; ut reliquarum quinimmo excellentium artium veluti Dominam, ac reginam illam adſtruere non dubitent, ſtrenui quoque colant, & venerentur, prædicent magnanimi, & quum opus ſit, omnium etiam virium conatu, omnique animi contentione defendant, ac tueantur.

Sed, vir nobiliſſime, & ampliſſime, quid rogo eſt, ſi de te vera adferenda ſunt, tua quidquid animi ſumma modeſtia obluctetur, quid inquam eſt, quod a me plene magnum, præcellens plene, & eximium, eidemmet tibi affulgere non dignoſcatur? Affulget ſanguis e vetuſtis, præclariſſimiſque majoribus tuis præclariſſimis: Affulget mentis, quæ excelſa eſt, perſpicuitas maxima: Affulget etiam ingenii acies, & ea admirabilis: Affulget demum animus totus inſignium virtutum bonore cumulatiſſime exornatus, integritatis, probitatis, liberalitatis, magnanimitatis, juſtitiæ, prudentiæ, clementiæ, munificentiæ, rerum magnarum ardentiſſimi ſtudii, earumque præſertim, quæ avitæ gloriæ, ac Nobilitatis illuſtre decus, Dei autem optimi maximi ſupra quælibet, & Divorum ſuorum æſtimationem, laudem, obſequium, celebritatem reſpiciunt: Quæ omnia profecto omnibus

nibus

nibus te Virum præſtantiſſimum, Patricium clariſſimum, Marchionem eximium, Sacerdotem optimum, & ornatiſſimum, quin ut juſtius loquar, Sacerdotum optimorum perquam optimam normam, atque ornatiſſimum exemplar faciunt, teſtantur, commendant.

Nam quid inſuper memorem, te inter Metropolitanæ Florentinæ Eccleſiæ Canonicos a pluribus annis cooptatum, tanto ibi morum ſplendore enituiſſe ſemper, & enitere, ut a reliquis Divino Numini concinentibus Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis conſociis tuis maximo ipſe plane diligaris amore, plurimo ab iis, qui inferiores inſident, excolaris obſequio, conſpicuis denique vitæ encomiis ab Clero univerſo ubique, & adſidue tollaris?

Jam vero quæ tua doctrina eſt, & poſſeſſio Scientiarum? Qui in omnes litteras amor? Quæ earundem tua æſtimatio, ac protectio? Nec earum duntaxat, ſed & cunctorum illorum, qui aut inquirunt illas, aut colunt, & fovent, aut promovent ſibi, vel aliis? Hæc mihi quidem in primis teſtatus es, Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine, quum in cultiſſima Florentina iſta Apathiſtarum Academia, quam tibi ſemper præcipuo in amore fuiſſe cuicunque compertum eſt, in Præſidem olim præelectus, conſcriptorum ei virorum numerum, non ſecus ac Sol adventu ſuo uberiora in hortis ſuſcitat germina, ac florea comparat lumina, ſic ipſe etiam pene ſtatim, nova aliorum eruditorum præclare facta adeptione, qui & ſoluto, & metris adſtricto dicendi genere differentes ſeſe

§ 3 glo-

glorioſe illuſtrarent, plurimum auxiſti; in quibus & me, licet hominem ingenio, ſcientiaque omnium minimum, in ipſaque Academia jam a pluribus annis ſuſceptum, tamen ſummæ tuæ benignitatis munere nempe Academiæ egregiis de novo mihi redditis Teſtimonialibus, tua principe dextra ſubſcriptis, iterum Apathiſtam tuum agnoſcere, ac decorare dignatus es, omnibus ipſe præiens clariſſima eruditione, quæ veluti lucidiſſima fax, quum te ipſum magis colluſtrabat, lectiſſimo quoque loco eximium attulit lumen, Academicisque Viris, qui conſpicua tua in dicendo veſtigia ſectati ſunt, ac ſectantur, fulgentiſſimam opem adhibuit. Sed admirabilis proclivitas, tantuſque favor tuus in præclara ſtudia, & ingenuas doctrinas, arteſque liberales, quanto inſignius ſe aperiunt etiam, ac pandunt, ubi quo ardentiori flagras in dies inclytæ, & locupletis Bibliothecæ tuæ augendæ, zelum quis oratione perſequatur. Nam id ſane nunquam ſilentio prætereundum eſt, te nobilem Majorum tuorum indolem æmulatum, & Ric. Riccardii in primis, qui Græce, latineque doctus, non tam excellentes Codices Mſſ. plus mille coemit, atque collegit; quam antiqua nummiſmata, & gemmas celatas innumeras ingenti ſtudio, & diligentia conquiſitus, poſteris ſuis perpetua laudis hæreditate tranſmiſit, te inquam quamplurimos itidem Codices Mſſ. munifice comparaſſe, & quid grandius fortaſſis, ac magnificentius in eaſdem Scientias, ac litteras animo verſantem, pretioſa eruditæ antiquitatis monumenta non tantum congerere, & adſervare; verum etiam neglecta, & incom-

ta

ta jacere non pati ; quum aureis, purpureiſque tegumentis involvi, & picturatis pellibus, umbilicisque ſumtuoſis ornari, ac decorari ſolerter cures.

Hæc de meritis tuis, ſi non omnia, aliqua ſaltem perſtrictim ſic attigiſſe ſatis ſit, Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine, ut omnibus ſemper pateat, quanto æquitatis jure tibi ſummo Viro Opus hocce meum litterarium a me ipſo fuerit delatum. Cum enim Magnitudinis tuæ tanta ſublimitas ſit, gloria tanta, tamque inconcuſſa veritas, quid profecto eſt, quod in Dedicationis hujuſmodi negotio, aut eminentius ad Operis ipſius lumen, & ornamentum, aut grandius ad ejuſdem tutamen, præſidiumque deſiderari debuerit? Quod ſi quia tenuitatis meæ, quam fateor, filius illud eſt, neque honorem tuum, neque tuum prædictum præſidium optare mihi unquam licuit, aut licet; tamen memineris, oro te, & obteſtor, hoc quoque magnorum virorum præconium maximum extitiſſe ſemper, atque extare, ſi quæ minus magna, & excelſa ſunt, aliquando illi etiam reſpiciant, foveant, elevent, tutentur quoque, illuſtrentque. Quæ a generoſiſſimi animi tui majeſtate, Nobiliſſime, & ampliſſime vir, quum mihi avidius, fiducialiuſque appetenda modo tantum ſuperſint, ipſe tibi etiam, qua poſſum, mentis meæ vi, ac contentione majori, quæcunque Magnitudinem hanc tuam extollere magis, atque exaltare valent, ab uno munerum omnium largiſſimo Datore Deo, cum tua ipſius perpetua ſoſpitate pleniſſima, ac feliciſſima precor. Dabam Cortonæ Kal. Juliis Anno Rep. Sal. MDCCXLVII.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione , ed Approvazione del *P. Fra Paolo Tommaſo Manuelli* Inquiſitor Generale del Sant' Officio di Venezia nel Libro intitolato *Rhetoricæ præcepta e ſelectiſſimis auctoribus compilata auctore Petro Antonio Santucci Congreg. Oratorii* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Battiſta Recurti Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe , e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 11. Settembre 1747.

(
(*Barbon Moroſini Cav. Proc. Rif.*
(*Andrea Foſcarini Rif.*

Regiſtrato in Libro a c. 11. al Num. 77.

Michel Angelo Marino Segr.

RHE-

RHETORICÆ PRÆSTANTIA

Sapientium Teſtimoniis firmata.

ADeo conſpicua ſane eſt hujuſce Artis vis, & majeſtas, ut veluti ceterarum omnium Artium Dominam, & Reginam merito peregregii appellarint Scriptores, *qua qui præditus eſt* (auſit quiſpiam ex eis adjungere) *Deus ille, ut ita dicam, putatur inter homines, & qua denique efficitur, ut reliquis hominibus tanto præſtemus, quanto homines beſtiis anteceſſerunt.* Et Trapezuntius in Præf. ad Rhetoricæ lib. teſtatur: *Quantum apud ceteras artes hæc bene dicendi ratio valeat, etſi notum omnibus eſſe arbitror; Illud tamen aliarum ſcientiarum pace dicam, quod omnes vere artes, ac diſciplinæ ſine hac una jejunæ, & non ſatis ornatæ habeantur. Efficit quoque, ut de unaquaque Scientiarum copioſe, & ſubtiliter diſſeramus; tantum vero noſtris temporibus apud nos lumen, & dignitatem affert, ut non ſatis docti habeantur, qui in hac una ſaltem mediocriter eruditi non ſint.*

Sed quid ille potiſſimum ſenſerit, audiamus, qui Eloquentiæ totam vim penitus hauſit, magnus Oratorum Rex Divo Hyeron. teſte, & de quo Lucan. 7. cecinit:

. . . . . . *Romani maximus auctor Tullius eloquii, cujus ſub jure, togaque Pacificas ſævus tremuit Catilina ſecures, Addidit invalidæ robur facundia cauſæ.*

Ergo lib. 1. de Orat. ſic ipſe: *Neque vero mihi quidquam præſtabilius videtur, quam poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velis; unde autem velis, deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquilliſque Civitatibus præcipue ſemper floruit, ſemperque dominata eſt. Quid enim eſt, aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit? Aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quam ſapientiſſimis ſententiis, graviſſimiſque verbis ornata*

nata oratio, & perpolita? Aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, Judicum religionem, Senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Et 2. de eodem Orat. rurſus ait: *Hoc mihi perſuaſi, nihil eſſe perfecto Oratore praclarius. Nam ut uſum dicendi omittam, qui in omni pacata, & libera civitate dominatur; tanta eſt oblectatio in ipſa facultate dicendi, ut nihil hominum, aut auribus, aut mentibus jucundius percipi poſſit. Quis enim cantus moderata orationis pronunciatione dulcior inveniri poteſt? Quod carmen artificioſa verborum concluſione aptius? Qui actor in imitanda, quam Orator in ſuſcipienda veritate jucundior? Quid autem ſubtilius, quam acutæ crebræque Sententiæ? Quid admirabilius, quam res ſplendore illuſtrata verborum? &c.*

Nec volo hic omittere, quæ de ejuſdem Artis præſtantia vir doctrina, ac pietate inſignis, proxime hiſce noſtris temporibus non ignobiliter ſcripſit, excellentiſſimi præfati Magiſtri ſenſa ſectatus, atque veſtigia. Ipſius enim ſunt.

Surgit ad dicendum coram infinita multitudine, in qua animorum, ac geniorum tanta ſit, quanta corporum diſſimilitudo. Apparet unus inter innumeros ſublimis Orator, Reges, Principes, amicos, hoſtes, ignotos, notoſque ante oculos habet, nudus ſine armis, ſine præſidio, ſine ſatellitio coram extat, ceteroſque infra ſe videt. Quid deinde? Nimirum dominatur Principibus, exarmat milites, de hoſtibus triumphat, in omnium animis incredibilem quamdam tyrannidem exercet. Nempe tanto artificio, tanta induſtria, vocem, geſtum, habitumque corporis ad orationem ſuam accommodat, ut duriſſimas quaſque mentes emolliat, ſeveriſſimas inflectat, frigidiſſimas inflammet, ardentiſſimas remittat, ac ſedet. Si exclamare cœperit ad excitandam iracundiam; illico fremere totus auditorum cœtus, ac velut iracundum mare ſurdo murmure, aut minaci fragore perſonare: dimittat vero languen-

guen-

Digitized by Google

guentem vocis conatum, & ad dolorem miſerabiliter intorqueat; lacrymas ex omnium oculis, gemitus, & ſuſpiria ex imis pectoribus eliciet: ſubito taceat, & in medio curſu filum orationis abrumpat, ipſo ſilentio ſuſpendet animos expectatione: Erigat oculos in cœlum, intentoque digito delicias horum locorum, & amœnitates oſtendat; Omnes, ita me Deus amet, auditorum animi, velut impetu facto, in cœlum volabunt. Quid plura? Sic in auditorum mentes plerumque ſenſus orationis transfunditur, ut eo exultante, ſubſiliant: commiſerante, ingemiſcant: ornante, ſuſpiciant: fremant, invehente: pollicente, erigantur: horreant, comminante: exprobrante, indignentur: commendante, diligant: iraſcente, exardeſcant: remittente, ſubito conquieſcant; ſic plane, ut exiſtimes unum Oratoris ingenium, vel delatum voce, vel vibratum oculis, vel manumiſſum, tot corporibus inſidere, tot regere, tot animare mentes, quot auditores præſentes habet: quod cum apte efficit, tot vulnera iuſligit, quot oculorum conjectus, tot tela intorquet, quot conatus vocis, toties palmam metit, quoties manum movet, nec plura verba, quam victorias loquitur. Et ex hoc capite *Virg. Ænead.* 1. *virum commendat, ejuſque eloquentiæ vim ſimul exprimit, talibus:*

Tum pietate gravem, & meritis, ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

At Eloquentiæ majeſtas, ſe mavult, & admiratione coli, & ſilentio prædicari; eſt enim admiratio præconium gloriæ, & ſilentium fidus interpres majeſtatis; neque major illa commendatio eſſe poteſt, quam omnis fruſtra tentata laudatio.

Denique Doctorum omnium Coryphæus, ac facile Princeps D. Auguſt. ſic de præcellenti hac Arte teſtatus habetur: *Hæc nobis cum Angelis, cum Deo ipſoquodammodo communis eſt: In ea ſe ille exercet: in ea delectatur: in ea triumphat dum nos ſine ſtrepitu verborum intus alloquitur.*

Ejuſ-

Ejuſdem Artis Utilitas.

ETſi non defuerunt aliquando, qui maximum hoc hominum adjumentum turpiter detrectare non dubitaverint, quod ex illorum numero, qui Iſaia Propheta teſte 5. 20. malum bonum dicunt, & bonum malum, falſo judicio deceptionem ſimplicium ſtatuerint, quod deceptionum imo, fraudum, & doli cujuſque infenſiſſimus hoſtis eſt; ſiquidem vera bene dicendi ratio veritatem amat ſemper, illam tutatur, & cunctis Eloquentiæ nervis prædicat, ſubſtinet, fovet, admiſcendo quidem interdum Auxeſes, hyperboleſque, ſed ſatis eas moderate, & eo tantum conſilio, ut veritatis ipſius magis affulgidus emicet nitor, auditoreſque eleganti, ac faceta interdum varietate delectet; Illud nihilominus pene Sapientes omnes firmiſſimum eſt, jugiterque erit, quod veluti præfulgens hæc Ars dignitate, ac majeſtate ceteris artibus præſtat, atque antecellit, quemadmodum ſuperius vidimus; Ita illas quoque plurimis in nos commodis, uberrimaque utilitate facile ſuperat, evincitque. Nam quid ego dicam in primis, quod ipſa, quæ ex univerſis rebus conſtat, ut cum Cicerone loquar lib. 1. de Orat. *quibus in ſingulis elaborare permagnum eſt, quæque omni laude cumulatum Oratorem non efficit, niſi erit ille omnium rerum magnarum, atque artium Scientiam conſequutus*; ipſa inquam prædictis artibus quibuſcumque, earumdemque rerum omnium magnarum ſcientia maximam opem fert, ut dignoſcantur, amplectantur, amentur, teneantur, & in deliciis ſint: iis etiam lumen, & decus impertitur: Clientes, amicos, defenſores conciliat: ab inimicis injuſte, impieque adverſantibus tuetur, & eripit: eas denique dicendi vi, & libertate magnanime ſervat, ſtrenue confirmat, & apud poſteros omnes perpetuo, & immortaliter vivere mirifice facit? Addere dejude licet cum laudatiſſimo perfecti eloquii Patre

lib.

lib. cit. quod *hæc, & non alia facultas eſt, quæ potuit, aut diſperſos homines unum in locum congregare; aut a fera, agreſtique vita ad hunc humanum cultum, civilemque deducere; aut jam conſtitutis civitatibus leges, judicia, jura deſcribere.* Hæc alibi cum eodem, ceteriſque omnibus in ea præſtantibus viris tum antiquorum tum noſtrorum temporum eſt, quæ Urbibus jam conſtitutis fidem colere; juſtitiam retinere, labores communis cauſa commodi ſuſcipere docuit: Hæc eſt qua facinoroſos homines invadimus, virtute præditos laudamus, nocentes condemnamus, innocentes abſolvimus, prudentes exornamus, imperitos docemus. Hæc eſt quæ ſola res honeſtas, atque utiles perſuadere poteſt: qua conſolamur afflictos, qua deducimus perterritos a timore, qua geſtientes comprimimus, qua cupiditates, iracundiaſque reſtinguimus, qua quidquid eſt in omni vita rectum, ac laudabile gubernamus. Hæc eſt, quæ adoleſcentes acriter a vitiis revocat, & ardenter ad virtutem cohortatur, quæ ſeniores languentes excitat, & ad Reipublicæ gubernationem attentiores efficit, qua Imperatores in bello milites ſuos ad patriæ defenſionem, & victoriam acquirendam alacriores reddunt; Quæ populos ad Religionem, & cultum Dei optimi maximi, ad patriæ pietatem, ad communem utilitatem tuendam inducit, quæ conciliatrix eſt humanæ ſocietatis, quæ denique ſemper, vel in otio, vel in negotiis maxime commoda eſt humanitati, fidei, Sapientiæ. Et hæc ſatis dicta ſint, ut ſi non tota, ex parte ſaltem aliqua attingatur Rhetoricæ utilitas.

Quanta præcipui Studii neceſſitas ſit ad hanc ipſam Artem acquirendam.

EX iis, quæ huçuſque attulimus, facile conſtat etiam neceſſitas, de qua modo ſermo. Nam quum quæ pulcia, eadem & difficilia ſint ex communi adagio; utique quanto ceteris artibus hæc antecellit, tanto quoque illis difficultate præſtet, ut acquiratur, neceſſe eſt. Sed rem hanc totam potius abſolvit, & ſtatuit Magiſtrorum omnium caput, ac Princeps præcellentiſſimus Tullius, quum ſupracit. lib. 1. de Orat. eamdem Rhetoricam ſermone perſequens, cunctis illam artibus adeo eminere oſtendit, ut in unaquaque ipſarum excellentes permultos homines fateatur, perpaucos autem omni tempore in hac bene dicendi ratione; & quidem ſic ille: *Ac mihi quidem ſæpe numero in ſummos homines, ac ſummis ingeniis præditos intuenti, quærendum eſſe viſum eſt, quid eſſet, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo, admirabiles extitiſſent. Nam quocumque te animo, & cogitatione converteris, permultos in quocumque genere videbis, non mediocrium artium, ſed prope maximarum. Quis enim eſt, quis, ſi clarorum hominum ſcientiam rerum geſtarum, vel utilitate, vel magnitudine metire velit, non anteponat Oratori Imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces ex hac una Civitate præſtantiſſimos pene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre poſſimus? Jam vero, conſilio, ac ſapientia qui regere, ac gubernare rempublicam poſſent, multi noſtra, plures patrum memoria, atque etiam majorum extiterunt: cum boni per quandiu nulli, vix autem ſingulis ætatibus ſinguli tolerabiles Oratores invenirentur. Ac nequis forte cum aliis ſtudiis, quæ reconditis in artibus, atque*

in

in quadam varietate litterarum verſentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum Imperatoris laude, aut cum boni Senatoris prudentia comparandum putet: Convertat animum, & ea ipſa artium genera circumſpiciat, quique in iis floruerunt, quamque multi: ſic facillime, quanta Oratorum ſit, ſemperque fuerit paucitas, judicabit. Neque enim te fugit, laudandarum artium omnium procreatricem quamdam, & quaſi parentem, eam, quam φιλοσοφίαν *Greci vocant, ab hominibus doctiſſimis judicari: in qua difficile eſt enumerare, quot viri, quanta ſcientia, quantaque in ſtudiis tuis varietate, & copia fuerint; qui non aliqua in re ſeperatim elaborarint, ſed omnia, quæcumque eſſent, vel ſcientiæ perveſtigatione, vel differendi ratione comprehenderint, quis ignorat, ii, qui mathematici vocantur, quanta in obſcuritate rerum, & quam recondita in arte, & multiplici, ſubtilique verſentur? Quo tamen in genere ita multi perfecti homines extiterunt, ut nemo fere ſtuduiſſe ei ſcientiæ vehementius videatur, quin, quod voluerit, conſequutus ſit.*

Quis muſicis, quis huic ſtudio litterarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus ſe dedidit, quia omnem illarum artium pene infinitam vim, & materiam ſcientia, & cognitione comprehenderit? Vere mihi hoc video eſſe dicturus: ex omnibus iis, qui in harum artium ſtudiis liberaliſſimis ſint, doctrinisqu verſati, minimam copiam poetarum egregiorum extiſſiſſe; atque in hoc ipſo numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, ſi diligenter & ex noſtrorum & Græcorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores, quam Poetæ boni reperientur. Poſt quæ & alia multa, quibus pereximiam hanc dicendi facultatem ſupra reliquas quaſcumque alias Artes, tum deinde, tum in cetero prædicti libri corpore maxime effert, ſubſtollitque, ad hanc poſtremo venit propoſiti ſui rationem, ut eamdem etiam ſupra omnes præcipue arduam obtentu, difficilemque conſtituat.

Quod ſequenti periodo facit potiſſimum, ſic inquiens: *Quis aliud in maxima diſcentium multitudine, ſumma magi-*

magiſtrorum copia, *præſtantiſſimis hominum ingeniis*, *infinita cauſſarum varietate*, *ampliſſimis eloquentiæ propoſitis proemiis eſſe cauſſæ putet*, *niſi rei magnitudinem quamdam incredibilem*, *ac difficultatem?* Sed quia in hac ipſa re plura quoque erunt dicenda, cum de Exercitatione ſingulariter agendum erit; hinc quæ breviter attigimus, ſufficienter pro modo a nobis dicta habeantur.

Ejuſdem Ciceronis præclarum monitum ad hujuſce Artis Studioſos.

IPSE in memorato lib. 1. de Orat. talibus eloquitur: *Si perfecti Oratoris moderatione, & Sapientia non ſolum ipſius dignitas, ſed & privatorum plurimorum, & univerſæ Reipublicæ ſalus maxime continetur; pergite, Adoleſcentes, ut facitis, atque in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite: ut & vobis honori, & amicis utilitati, & Reipublicæ emolumento eſſe poſſitis.*

QUID

RHETORICÆ PRÆCEPTA

E SELECTISSIMIS AUCTORIBUS COMPILATA.

Quid, & quotuplex ſit Rhetorica.

HÆc præſtantiſſima Ars, quam ab inuſitato verbo rheo, quod eloquor ſonat, Rhetoricam dictam volunt, diverſimode a Magiſtris diverſis definita eſt. Plato in primis ſtudioſus Socratis Diſcipulus, Ariſtoteliſque doctus Præceptor flexanimam Artem adferuit, ad quod, fortaſſe Lucanus reſpexit, quum Piſonem Oratorem eximium commendans ſic cecinit:

, - - - - - - - Tu quoque Piſo
Judicis affectum, poſſeſſaque pectora ducis
Victor, ſponte ſua ſequitur quocumque vocaſti

At Peripateticus Auditor maluit *eſſe vim quamdam, facultatemque videndi, quid in unaquaque re ſit ad perſuadendum accommodatum*. Nos vero cum Tullio dicemus, *Rhetoricam eſſe artem bene, ornateque dicendi*. Ea enim cum reliquis artibus commune habet, quod præceptis quibuſdam ſe dirigat, quæ obſervans errare non poteſt: diſcrepat autem, quod illi ſoli bene dicere congruat, vel cogitata præclare eloqui; Ipſius ſiquidem eſt, in utramque partem Oratorem idoneum efficere, ut videlicet ipſe idem & laudare, & vitu-

perare, & ſuadere, & diſſuadere, & accuſare, & defendere valeat. Congruit inquam illi ſoli bene dicere, ut notetur differentia a Grammatica, quæ eſt ars bene loquendi; diſtat enim bene dicere a bene loqui, quia bene loqui eſt ſimpliciter loqui hoc eſt ſine errore, bene dicere vero eſt eleganter loqui, & apte ad perſuadendum.

Nec obſtat definitio Quintiliani, qui eam vocavit Scientiam, quia ars lato modo ſumpta, poteſti vocar Scientia, utraque enim pendet ex operatione intellectus activa, non ex operatione factiva, quæ reſpicit artes mæchanicas, tranſeuntes in externam materiam, ut fiat aliquod opus, v. g. navis, domus &c. Activa vero reſpicit artes liberales, quæ habent actionem ſuam immanentem, unde homo fiat bonus, vel malus.

His igitur præmiſſis duplex datur Rhetorica, altera naturalis, & altera ab obſervatione, quæ dicitur artificialis.

Naturalis eſt, quæ non artis adminiculo, ſed ipſa natura operante acquiritur; ruſticus enim, & ſe defendere, & alios accuſare, laudare, & vituperare callet; nulla arte dicendi tamen, ſed ſola natura dictante.

Artificialis eſt, quæ tota pendens ab arte, acquiritur per præcepta, quibus dirigimur ad inventionem, diſpoſitionem, & eloquutionem, ut conficiamus orationis opus. Nihil de naturali, de artificioſa nobis erit ſermo, & in primis.

De Rhetoricæ Partibus.

RHETORICÆ PARTES QUINQUE ADSIGNANTUR I. INVENTIO. II. DISPOSITIO. III. ELOCUTIO. IV. MEMORIA. V. PRONUNCIATIO.

INventio definitur a Cicerone primo Rhet. cap. 2. *excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſam probabilem reddant.*

Diſpoſitio eſt rerum, quas excogitavimus, ſuis quibuſque locis in ordinem diſtributio.

Elo-

Elocutio eſt idoneorum verborum, ac ſententiarum ad inventionem accommodatio.

Memoria eſt firma rerum, ac verborum perceptio.

Pronunciatio eſt totius corporis, vultus, & vocis cum dignitate moderatio.

De adjumentis ad haſce Rhetoricæ partes acquirendas.

Quatuor communiter adſignantur adjumenta neceſſaria ad eloquentiam conſequendam.

I. Natura. II. Ars. III. Imitatio. IV. Exercitatio.

UT aliquid de natura dicamus, contra torrentem niteretur, qui adverſante natura, eloquentiæ ſtudium amplecteretur, quare ſemper mihi Athenienſium mos placuit, qui ſuis filiis artium omnium inſtrumenta proponebant, ut ad eam animum applicarent, ad quam eſſent natura proclives; Ideo quemadmodum difficile eſt aquam e pomice haurire, & ex ſterili campo fæcundam meſſem habere; ita perarduum eſt, ſine naturali Rhetorica, ex ingeniis quibuſcumque eloquentiæ flumina redundare, & fæcundam meſſem ſermonis educere.

Ars, quæ definitur ea, *quæ dat certa, & nunquam fallentia præcepta*, in rebus efficiendis debet eſſe veluti clavis in navi, aut Leenæ lingua; ea etenim quaſi devii dirigimur, & formamur informes, cum natura, & ingenium arte perfici ſoleant.

Imitatio eſt, *qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquibus ſimiles eſſe velimus*. Hæc tanti apud omnes habetur, ut ſine ipſa nemo vix poſſit eloquentiam optime conſequi. Cum etenim eloquentia leporem, ſuavitatem, vim, acumen, gravitatem, ſeveritatem, & alia qumplurima requirat, quænam eſt Indoles ita

felix, quæ his omnibus fuerit a natura uberrime donata, cum in cunctis videatur pene diſſimilis? Ea profecto ad hilaritatem alios, alios ad ſeveritatem, alioſque ad alia efformavit. Ideo a ſingulis aliqua particulari virtute debemus inſtitui cum nec ipſa eloquentia uno Saulo, ſed multis, nec unius hominis, ſed plurimorum ingeniis ſit conſtituta.

Imitationis eſt individua comes exercitatio, quæ definitur *uſus aſſiduus*, *conſuetudoque dicendi*, *audiendi*, *loquendi*, *meditandi*, *ſcribendi*, *& memoriter ediſcendi*.

Dicitur conſuetudo dicendi, quia hoc maximi momenti eſt, ſive quemquam oratorum audiamus, ſive nos ipſi dicamus; habemus enim multos evaſiſſe peritos & aliorum auditu, & conſuetudine dicendi. Quare Demoſthenes eam eloquentiæ laudem fuit aſſequtus, ut facile Athenis eloquentiæ Princeps appellaretur, quia & Calliſtratum audiendo, illius æmulatione accendebatur, & noctu in infima ædis ſuæ parte ſæpiſſime dicebat ad ſpeculum, ipſe ſibi eodem tempore vocis cenſor, & geſtus.

Diciturlegendi, quia libros optimorum auctorum habere præ manibus debemus; nihil enim, ut ait Cicero lib. 3. de Orat. hac lectione utilius ad perfectionem dicendi comparandam. Cavendum tamen eſt a plurimorum librorum evolutione, ne potius confuſione obvolvamus mentem, quam doctrina illuſtremus.

Dicitur meditandi; fruſtra enim tempus legendo contereremus ſi attenta mente iis, quæ legimus, minime inhæreremus. Quamobrem Gallinas imitemur oportet, quæ quolibet hauſtu aquæ caput attollunt. Quæ autem in auctorum lectione perpendi attentiſſime debent, tria ſunt, Inventio ſcilicet, diſpoſitio, & elocutio.

Dicitur ſcribendi, quia quæ fuerint audita, lecta, & meditata, ſcribere ea diligenter præcipimur, quem uſum viri in eloquentia præſtantes adſiduum commendant; quia ſicuti Apelles in ſua arte ſingularis, & pene ſolus, nullam diem ſine linea duxit; ſic & nobis

ſa-

ſatagendum eſt, ut nulla prætereat dies, in qua aliquid non ſcribamus, aut commentemur.

Ultima tandem exercitationis pars debet eſſe memoria, quæ niſi fuerit cuſtos eorum, quæ audivimus, legimus, & meditati ſumus, omnia, & ſi præclara, peribunt. Ideo Pithagoricorum mos eſt excipiendus, quidquid, quolibet die audiverimus, & legerimus, veſpere commemorando, ſi boni oratores eſſe volverimus; cum veriſſimum ſit nos tantum ſcire, quantum memoriæ mandamus. Verum ut clarius innoteſcat, eloquentiam ab exercitatione pendere audiendus nobis Ovidius eſt, qui præclare ad rem decantavit.

Artifices unus, qui facit uſus erit.

Quodnam ſit Officium, & finis Oratoris, & Rhetoricæ.

OFficium in qualibet arte eſt id, quod præſtare debet artifex ad ſuum finem conſequendum, finis vero eſt ille, ad quem dirigitur, & refertur mens artificis, ut recte ſuum opus ſortiatur exitum; unde patet officium ſpectare ad finem, & finem ad officium, nec officium ſine finis admiſſione poſſe recte definiri. Itaque Cicero lib. 1. de Inven. definiens oratoris officium. *Eſt*, inquit, *appoſite dicere ad perſuaſionem*, *finis vero perſuadere dictione*; ubi & finis in officio, & officium in fine videtur implicitum. Dixit *appoſite dicere*, ſcilicet per artis præcepta, & ad cauſæ propoſitum; hoc etenim eſt oratorie dicere, non autem ſimpliciter dicere; Multi enim dicunt, qui tamen non ſunt oratores; Dixit *perſuadere dictione;* ne talis finis aliis competere artibus videretur.

Hoc loco notandum eſt, Quintilianum lib. 1. cap. xv. velle primarium finem Rhetoricæ eſſe bene dicere, & perſuadere eſſe tamquam ſecundarium, & accidentalem, cum ſæpius accidat, ut dicendo non perſuadeamus. Præterea ait, perſuadere non poſſe conſtitue-

re rectum, & certum finem hujus artis, cum & ipſæ mulierculæ ſuis lenociniis, & verborum illecebris poſſint perſuadere.

Quæ Sententia apud pleroſque eloquentia præſtantes minime admittitur; quia licet orator non ſemper finem ſuum conſequatur; hoc tamen non eſt ex defectu artis, ſed audientis, ars etenim ex parte ſua videtur jam finem conſecuta, cum vim habuerit perſuadendi. Quare Cicero finem in rebus ipſis poſuit ſciicet in intrinſeco illius artis, & non in eventu, ſeu in extrinſeco, ut eſt in aliis artibus mæchanicis, in quibus a ſola voluntate artificis pendet, ut fiat opus, quemadmodum ex pictore, ut fiat imago.

Quod ſi res aliter ſe haberet, in artibus quam plurimis, & præcipue in medicina fruſtrandus eſſet finis; cum etenim in ea arte finis ſit ſanitas, cum infirmus intemperantiæ cauſa, aliove caſu, per medicamenta ſanitati ſuæ congruentia, ſanitatem non recuperaret, tunc profecto ſuo fine fruſtraretur medicus, quod falſiſſimum eſt; etenim tunc medicina ſuum videretur habuiſſe finem, cum habuerit vim adæquatam ſanandi. Nec etiam fruſtrari poteſt ſuo fine orator, ex eo quod mulierculæ pariter tormenta, & cetera perſuadeant, non etenim perſuadent dictione. Igitur maxima cum Auctorum turba concludimus, officium Oratoris, ut diximus, eſſe bene dicere ad perſuaſionem, & finem perſuadere dictione.

Quoad officium, & finem Rhetoricæ, una definitione complecti poſſunt, dicendo: officium Rhetoricæ nihil aliud eſſe, quam inſtituere Oratorem per præcepta, ut commode dicere valeat de quacunque materia; ubi officium notatur per illa verba *inſtituere oratorem per præcepta*; finis vero eſt in reliqua dictione.

His ergo præmiſſis, ad agendum de Rhetoricæ partibus jam jam deveniamus: rectus poſtularet ordo, ut ab Inventione ſumeretur principium; attamen, quia perardua mihi viſa eſt hæc via, ut eam nobis

bis faciliorem aperiam ab elocutione auſpicabor, & ideo.

De Elocutione Lib. I.

ELocutio tanti eſt in arte dicendi, ut inter alias illius partes, primum ſibi vindicet locum; artem enim, & artificem denominat, & a Dialectica Oratoriam ſecernit; dum enim prætioſa ſuppellectile argumenta contexit, ſe gemmæ orationis parentem eſſe contendit.

Definitionem elocutionis jam ſuperius aſſignavimus, cum eam eſſe diximus: *Idoneorum verborum, ac ſententiarum ad inventionem accommodatio*. Sed quia de Orat. Cic. inquit: *Erit eloquens, qui ita dicat, ut probet, delectet, & flectat*; probare neceſſitatis eſt, delectare ſuavitatis, flectere victoriæ; & cum de probatione agendum ſit in inventione, de motibus in amplificatione, noverit hic orator candidatus ſibi proponi delectationem per ſuavitatem orationis comparandam; quod ut facilius attingamus, ſecuti Ciceronem elocutionem per diviſionem tractabimus.

Dividitur ergo elocutio in elegantiam, compoſitionem, & dignitatem. Elegantia agit de puritate ſermonis, compoſitio de connexione verborum, de oratione numeroſa, & de periodis, dignitas de tropis, & de figuris.

De Elegantia.

ELegantia, ut inquit Cicer. *eſt, quæ facit ut unumquodque pure, & aperte dici videatur*. Hæc diſtribuitur in Latinitatem, & explanationem.

Latinitas *eſt, quæ ſermonem purum conſervat, & ab omni vitio remotum*, ut grammatica docet.

Explanatio *eſt, quæ reddit apertam, & dilucidam orationem*. Hæc autem comparatur duobus verbis, ſcilicet, & uſitatis, & propriis. Uſitata ſunt ea, quæ

verſantur in ſermone, & quotidiana conſuetudine.

Propria vero, quæ ejus rei verba ſunt, de qua loquimur; ita Cicero, & Quinctil. *verba*, inquiunt, *tum propria ſunt, cum id ſignificant, in quod primum denominata ſunt.*

Pro hac explanatione ſervanda tradunt Rethores delectum ſimplicium verborum, ex quo rejicienda ſunt, quæ ſequenti diſtico complectuntur.

Sordida, priſca, nova, antiquata, poetica, dura,
Turpia, rara nimis, vel peregrina cave:

Nam & faciunt orationem nimis ſordidam, obſcænam, obſcuram, aſperam, & nimis ampulloſam.

De novandis verbis inquit Fabius: *Nova non ſine quodam periculo fingimus, ſi tamen fingere audebimus, præceptum Horatii ſervandum erit de arte Poetica.*

Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum . . . . .

Hujuſmodi eſſe poſſent Verſutiloquor, ruricola, blandiloquens &c. Poetica non arcerem ab oratione, ſi remotis ampullis, & quibuſdam poetarum fabulis propriis verbis illuſtrantur.

Aſperitas conſurgit ex tribus; continuatione conſonantium, aſſidua ejuſdem litteræ repetitione, & heco in vocibus. Exempla eſſe poſſent 1. O felix Xerſeſque. 2. O Tite tute tati tibi tanta tiranna tuliſti. 3. Non cauponantes bellum, ſed belligerantes.

Contrarius aſperitati eſt ſermo hiulcus, & hians, qui naſcitur e vocalium concurſu, ut Baccæ Eneæ an æniſſimæ pendebant.

Sed hoc loco ſervandum, quod aliquando non eſt inſuavis tum vocalium tum conſonantium concurſus, cujus uſus prudentiæ Oratoris relinquitur.

De Compoſitione.

Definitur compoſitio *verborum ſtructura, quæ facit omnes orationis partes æqualiter perpolitas.*

Compoſitionis ergo officium eſt, ita inter ſe verba conecte-

nectere, ut nihil in oratione ſit, aut obſcurum, aut præpoſterum, aut hiulcum, aut aſperum, deinde omnia diſtinguere in conciſa, membra, & periodos, ut verba ita conjuncta numeroſe, & ſonore cadant. Vis hujus ſtructuræ tali ſuavitate orationem concinnit, ut licet res de qua agitur, perquam levis ſit, ſapor tamen, & mira delectatio ſua ſponte fluat, atque emanet.

De Oratione numeroſa.

DUo orationis genera communiter traduntur a Rhetoricæ magiſtris; alterum pendens, alterum convolutum. De oratione pendente inquit Ariſt. lib. 3. cap. 9. *dico pendentem; quæ nullum per ſe habet exitum, niſi res, quæ dicitur in exitum pervenerit; quæ eſt inſuavis, quoniam prifinita.*

Oratio convoluta *eſt, quæ circuitu effertur*. Notandum ergo, quod ſuavitatem orationis maxime curarunt poetæ; unde per eam adeo aſſentati ſunt auribus, ut compoſita ſint commenta, quæ de Orpheo, Amphione, & aliis circumferuntur. Antiqui oratores cum animadvertiſſent ſe in oratione illa pendente, & in longum producta, quæ nullis inciditur membris, nullis clauditur periodis, ejuſmodi ſuavitatem fruſtra conſectari, poetas imitari ſtatuerunt, & in primis Traſimacus, & Gorgias numeroſam orationem in medium attulerunt, quæ quia ambitu artificioſe comprehenſa, dimenſa membris, partibuſque finita, mira ſuavitate aures, animumque auditoris afficiebat, obviis ulnis ab omnibus fuit excepta. Sed quia circuitum orationis Ariſtoteles periodum appellavit, de hac nobis hoc loco agendum eſt.

De Periodo.

PEriodus definitur: *Continuatio quædam commatum, & membrorum, ita apte inter ſe, & rotunde connexorum, ut & plenam ſententiam, & concluſionem referant*. Ariſt. vocat *orationem, quæ principium, & finem*

finem per ſe habet, eamque interjectam magnitudinem, quæ facile oculis perluſtrari poſſit.

Ermogenes vero appellavit *clavim, quæ aperit, clauditque ſententiam.*

Periodus igitur conſtare debet initio, fine, & juſto ſpatio interjecto, initio, & fine, quia debet inchoare, & abſolvere ſententiam; & ſpatio interjecto, ut ſpiritum dicentis juvet, nec aures auditorum, longiori ambitu obruat, vel leviore fallat. Hujus rei exemplum a Cicerone peti poteſt, & ſequenti periodo in orat. pro Cæcinna: *Si quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret, non minus in cauſa Aulus Cæcinna cederet Ebutii impudentiæ, quantum in vi facienda ceſſit audaciæ.*

Duæ ſunt partes periodi, membrum ſcilicet, & articulus.

Membrum, quod color, ſeu interciſio dicitur, eſt *oratio perfecta quidem ſenſu, ſed adhuc ſuſpenſam efficiens auditoris mentem, quæ idcirco aliquid aliud expectet.*

En vobis exemplum deſumptum a Cic. pro leg. Man. *Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundisſimus, hic autem locus a dagendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus* Quinctil. Videtis perfectum ſenſum, non tamen abſolutam ſententiam; unde ſequitur, *tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt.*

Articulus, qui comma, & interciſio, vel inciſim nuncupatur, eſt pars membri uno, vel pluribus verbis conſtans; cum nimirum verba intervallo, & cæſa oratione diſtinguuntur. Cic. pro Flacco: *Equidem exiſtimo in hujuſmodi regione; atque Provincia, quæ mari cincta, partibus diſtincta, inſulis circumdata &c.* Hinc colligitur, quod ex verbis ſimplicibus fit articulus, ex articulis membrum, ex membris periodus, quæ bimembris

bris dicitur, ſi conſtet duobus membris, trimembris ſi tribus, quadrimembris ſi quatuor, magna ſi pluribus quam quatuor, monocolon ſi uno, quadrata tandem ſi quatuor, quæ ſibi invicem reſpondeant, connexaque inter ſe omnia ſint, ut eſt illa Ciceronis pro Cæcinna, quam ſupra citavimus.

Artificium periodi quatuor exigit; delectum verborum, diſtinctionem partium, numeri ſuavitatem, & figurarum dignitatem.

In verborum delectu quatuor conſiderantur; Vis ſignificationis in exponendo ſplendor, ſeu decorum in ſenſu, granditas, & amplitudo, in ſono ſuavitas, & aſperitas.

Quantum ad vim ſignificationis, Tullius in partibus orationis, enumerat ſexdecim genera verborum, quæ in ſe habent ſignificationem.

Illuſtria, quæ rem ponunt ante oculos, ipſamque actionem oculis ſubjiciunt. Qualia ſunt ea apud Claud. de Zefiro libro 2. de rap. Proſerp.

Quaque volat, vernus ſequitur color, omnis in herbam
Turget humus, medioque patent convexa ſereno:
Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia nigro
Induit, & dulci violas ferrugine pingit.

2. Uſitata, quæ facile ab omnibus intelliguntur, ut ſunt ea Cicer. *O acerbam mihi memoriam temporis, & loci.*
3. Gravia, quæ majorem vim bonitatis, vel malitiæ oſtendunt, ut eſt *charitas*, quod magis ſignificat, quam amor, *Sacrilegus*, quod magis, quam fur.
4. Plena, & ſonantia, quæ ex pluribus ſyllabis longis conſtant, ut ſunt ea Cicer. *De me ſemper populus Romanus, de me omnes gentes loquentur, nulla unquam obmuteſcet ætas.*
5. Compoſita, ea ſcilicet, quibus duo in unum componuntur; hujuſmodi ſunt *contradicere*, *perelegans &c.*
6. Facta, hoc eſt inventa ab ipſo Oratore. Ex iis aliqua

qua inveniuntur apud Cic. Epiſt. ad At. *Ullam Apietatem aut Lentulitatem valere apud me pluſquam ornamenta virtutis, exiſtimas*. Fiunt autem nova verba per ſimilitudinem, cum aliquod verbum ad ſimilitudinem alterius effingimus; ſi enim dicitur *pueraſco*, etiam dici poteſt *adoleſco*, *juveneſco*, *ſeneſco &c. ſi parricida*, *fratricida* pariter, & *Sororicida*; vel imitatione, cum nimirum in verbo effingendo naturam rei imitamur, ut *hinnire*, *pipire*, *garrire*, in effingendis quibus equi vocem gallinæ &c. imitamur; vel inflexione, cum ſcilicet ex verbi inclinatione alicujus novum, longiuſque verbum effingimus, *ut a bibo biboſus*, *a cœno cœnoſus*; vel adjunctione, cum more Græcorum duo in unum congerimus, ut *ignipotens*, *intercluſum &c.*

7. Cognominata, hoc eſt ſynonima ea, quæ habent fere eamdem ſignificationem, qualia ſunt ea Cic. pro Mil. *Hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur*, *exterminabitur*, *ejicietur*.
8. Non vulgata videlicet, quæ ſunt ſupra vulgarem verſionem.
9. Superlata, quæ fidem excedunt, ut ſunt Hiperbolica.
10. Translata, hoc eſt metaphorica.
11. Diſſoluta, vel disjuncta, cum aut plura membra ita proferuntur, ut unumquodque habeat ſuum verbum, & integrum ſenſum; ſic Cic. pro Mil. *Me Patria expulerat*, *bona diripuerat*, *domum incenderat*, *liberos vexaverat;* aut ſingula verba cæduntur, ut *veni*, *vidi*, *vici*.
12. Relata cum paribus paria redduntur, ut ſunt contraria.
13. Iterata, quæ initio verborum repetuntur. Cic. pro Mil. *Caruit foro poſtea Pompejus*, *caruit ſenatu*, *caruit publico*.
14. Duplicata, ea ſcilicet, quæ geminantur. Cic. *Vos*, *vos appello*, *fortiſſimi viri*.
15. Creſcentia, quæ nimirum ab inferioribus ad ſuperiora

rioraefferunt orationem. Cic. pro Mil. *Valeant cives mei ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati.*

16. Periphraſtica cum pluribus explicatur quod poterat paucioribus. Ceres apud Claudianum dictura, commendo tibi filiam.

> . . . . . . *Salve gratiſſima tellus*
> *Quam nos prætulimus cœlo tibi gaudia noſtri*
> *Sanguinis, & caros uteri commendo labores.*

Poſſumus hic ſuadere numerum multitudinis, pro numero ſingulari; ut *vos appello Cæſares.*

Splendor, ſeu decorum hoc habet, ut ſplendidam orationem efficiat. Ad hoc profecto ordinata partium diſtributio, tranſitiones, & quædam remotionis formulæ, de quibus inferius. Præterea tribus ſervatur decorum.

1. Subjectarum rerum proportione, cum nimirum res ampliſſimæ ampliſſimis vocibus explicantur.
2. Affectibus rite expoſitis, ut ſi laudabilia jucunde, miſerabilia demiſſe, periculoſa timide dicamus.
3. Commutatis moribus, cum ſcilicet voces perſonis accommodantur, aliter enim loquitur vir Urbanus, aliter ruſticus, aliter improbus, aliter probus, aliter puer, aliter ſenex &c.

Granditas, ſeu amplitudo ſex modis efficitur.

1. Poſita definitione loco nominis, ut *ars bene dicendi pro Rhetorica.*
2. Metaphoris, & epithetis, quæ debent eſſe talia, quæ ſemper aliquid addant rei, quam explicant.
3. Libertate numerorum, cum ſcilicet numerum multitudinis pro ſingulari uſurpamus, & ſecundum Quinctilianum, cum numerum angularem pro numero multitudinis adhibemus.
4. Nominum, verborumque diſtinctione, cum nimirum, aut verba in nomina, aut nomina in verba commutamus pro majore amplitudine orationis; ut ſi pro *moderatione Reipublicæ* dicamus potius; *Is, qui Reipublicæ habenas moderatur.*

5. Adjun-

5. Adiunctione copularum, cum nimirum in oratione copulas frequentamus; ut Virg.

. . . . *Molemque & montes inſuper altos Impoſuit*;

6. Quadam ratione antimati, hoc eſt contrapugnantis, cum deficientibus bonis mala ab aliquo removemus; ut *ſi quis non eſt dives, non. tamen eſt pauper. Notiſſimum quod granditas abhorret a conciſo Sermone &c.*

Suavitas, quæ comparatur ad delectationem, atque auditorum voluptate, orationi conciliabitur, ſi verborum ſtructuram, de qua ſupra dictum eſt, ſervabimus; aſperitas aſperam facit orationem, quæ quidem adhibenda eſt in obiurgationibus, & increpationibus, in quibus uti oportet ſale, & aceto, non tamen felle, & dente; idque facimus ad utilitatem, vel neceſſitatem, & hac utuntur ſuperiores in inferiores, vel amici in amicos. Structura fit vel formalis imperandi, ut Cic. in Catil. *Muta jam iſtam mentem, mihi crede obliviſceris cædis, & incendionem*; vel interrogationibus, ut idem ibidem. *Quid eſt Catilina, quod te delectare poſſit?*

Aſperitati proxima eſt vehementia, quæ adhibetur in adverſarios, vel æquales, quos liberiori ſtilo exagitare docet. Ad hanc rem faciunt epitheta, & verba ad contumeliam conficta, ut *gurges bonorum, fax, peſtis Reipublicæ*. Inſuper ſi digito demonſtremus, ut Cic. *Tu, tu, Antoni, Cæſarem interfeciſti.*

De diſtinctione partium in quas funditur periodus.

Duo præcepta traduntur ad explicandam periodum in ſua partes, & membra, quoad primum, quoniam ad intexendam periodum brevis ſententia quædam ſolet ſemper aſſumi, Orator excogitare debet, quibus locis illam explicare poſſit; quoad ſecundum autem, quoniam ſingula membra aliquo artificioſo nexu

nexu ſuſpendi debent, donec periodi ſenſus cum ipſo circuitu abſolvatur, Oratori ſciendum reſtat, quæ illa ſint, quibus membra in oratione ſuſpenduntur.

Quantum ad primum, pluribus modis explicari poteſt ſententia.

1. Definitione per epitheta conglobata. Cic. explicaturus quod viderat Curiam inflammari, ſic amplificat: *Vidimus templum Sanctitatis, amplitudinis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo populo conceſſam, uni ordini inflammari, excindi, funeſtari.*
2. Synonimis delectis; idem Cic. arguens Antonium, quod auſus ſit ſacram domum ingredi, ita ſententiam explicat: *O audaciam immanem, tu ingredi illam domum auſus es? Tu Sanctiſſimum illud limen intrare? Tu illarum ædium Piis Penatibus os importuniſſimum oſtendere? An tu illa veſtibula, noſtra ſpolia cum adſpexiſti, domum tuam te intrare putaſti?*
3. Enumeratione partium; rurſus idem Cic. dicturus, quod Clodius ab omnibus lugeretur, ſic ſententiam amplificat: *Pub. Clodii mortem æquo animo nemo ferre poteſt: luget Senatus, mæret equeſter ordo, tota Civitas confecta ſenio eſt, ſquallent municipia, affli-ctantur Coloniæ, agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum civem deſiderant.*
4. Singulis verbis per comparationem expoſitis. Idem ſæpius præcitatus. Cic. dicturus ſe adducere in judicium hominem ſceleſtum, ita ſententiam exponit: *Non enim furem, ſed ereptorem: non adulterum ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque morr ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem vivum, ſociorumque in veſtrum judicium adducimus.*
5. Circumſtantiis, quæ ſeptem enumerantur uno carmine contentæ:

   Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Cice-

Cicero dicturus, quod & religionibus Deorum, & ſummæ Reipublicæ præpoſiti Pontifices ſint, finali cauſa ſic amplificat: *Ut ampliſſimi, & clariſſimi cives Rempublicam bene gerendo, Pontifices, religiones religionibus ſapienter interpretando Rempublicam conſervarent.*

6. Denique affectibus, adjunctis, contrariis, ſimilitudine, comparatione, & ceteris oratoris locis, quorum exempla paſſim apud Oratores inveniuntur.

Alterum præceptum continetur quibuſdam particulis, quæ vim habent ſuſpendendi ſenſum in oratione. Hæ ſunt omnes, quæ correlativæ dicuntur, ut *quamquam*, *etſi*, *quamvis*, quibus reſpondent *tamen*, *verumtamen*, *nihilominus*; præterea, *quoties*, *toties*: *qualis*, *talis*: *quantum*, *tantum &c.*

Valent etiam particulæ negativæ iteratæ. Cic. pro Lege Man. *Cujus adoleſcentia ad Scientiam rei militaris, non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis, non offenſionibus belli, ſed victoriis, non ſtipendiis, ſed triumphis eſt traducta.*

De Numeri ſuavitate.

AD comparandam orationis ſuavitatem tria requiruntur, Vocum quantitas, ſyllabarum certus numerus, vocum idonea collocatio, & ſtructura.

1. Vocum quantitas haberi poteſt ſyllabarum menſura, quæ non eſt comparanda ex lege, qua uſurpatur in carmine; ſed ſolum habenda eſt earum quædam ratio, ut ex illis conſonantia conſurgat.

2. Syllabarum certus numerus ſervandus eſt, ne importuna rerum copia obruat, vel inopia vacuas reddat aures. Quapropter auricularum judicio menſurandæ ſunt in oratione partes, quæ ſi longiores, quam aures ferant, indicentur, reſtringendæ erunt, ſi breviores, fuſius explicandæ. Solent etiam adſignari a Rhetoricæ magiſtris quidam pedes locandi in prin-

principio, medio, & fine; Sed quia hoc negotium eſſet valde operoſum, neque ſemper cuique orationi accommodatum, ſatis erit, ſi vobis præcipiam, quod ſcilicet in principio adhibenda ſunt verba quædam, quæ gravia ſint, in fine vero periodi ea, quæ graviori ſenſu cadere videantur. Ceterum ita pedes in oratione connectendi ſunt, & hoc præcipue in fine membrorum, ut nimirum verborum velocitas tardis corrigatur, & tarditas velocibus moderetur.

Structura, ſeu collocatio exigit has conditiones, quæ ſupra traditæ ſunt, cum de elegantia, & compoſitione actum fuit, ſcilicet, ne voces ſint viles, aſperæ, ſubſultantes, invenuſtæ, trajectæ &c.

De vario Periodi charactere.

QUemadmodum vario ſtilo incedere poteſt oratio, ita varius eſt periodi character. Et quia Orator dicere poteſt periodice, membratim, & inciſim, ideo periodus alia eſſe poteſt rotunda, alia conciſa, alia mixta.

Periodus rotunda, quæ alio nomine dicitur volubilis, eſt illa, *quæ ſimpliciter circuitu effertur*, de qua jam ſatis dictum eſt.

Conciſa ea *eſt*, quæ *accuratiori ſtilo tractata diligenti cura in ſuis quibuſque partibus dimetitur, ita ut non ſolum membra membris, ſed verba verbis reſpondeant.*

Artificium hujus periodi exigit eas omnes figuras, quæ accommodatæ ſunt ad hanc diligentem, & accuratam verborum omnium menſuram, ut ſunt repetitiones, ſubjectiones, anthiteſes, compares, ſimiliter deſinentes, ſimiliter cadentes, & aliæ omnes, quæ conducunt ad hanc accuratam, & ſedulam in partibus qualitatem & dimenſionem.

Periodus mixta *eſt ea, quæ participat de utraque, ſcilicet & de volubili, & de conciſa.* Hujus præcepta

 peten-

petenda ſunt ex utraque, cum ex utriſque compoſita ſit.

Notandum, quod tam conciſa, quam mixta periodus aptiſſima eſt elogiis, & inſcriptionibus ſepulcralibus, in quibus accuratior ſtilus exponitur. Volubilis vero, ſi unico membro, cadat brevioribus inſcriptionibus aptiſſima eſt.

De Variatione Periodi.

QUemadmodum ex varia rerum diverſitate pulchritudo in orbe conſurgit, ita ex periodis ingenioſe variatis augetur venuſtas. Hæc igitur varietas variis figuris inſtruitur; ita ut figurarum varietate varietur periodus. Sit E. G. in periodo varianda hæc ſententia: Rhetorica per ſe plurimum poteſt. Ea variabilis vel per interrogationem: *Quid in hoſtes validius, quid potentius dicendi facultate a Diis immortalibus fuit homini conceſſum*; vel per exclamationem: *O vim admirabilem eloquentiæ*; vel per alias figuras. Hujus rei exempla paſſim in auctoribus obvia fiunt.

De Figuris verborum, & ſententiarum.

DUabus jam elocutionis partibus explicatis, elegantia ſcilicet, & compoſitione reſtat, ut de dignitate diſſeramus. Igitur elocutionis dignitas conſurgit e tropis, & figuris, quibus orator magis fulget, quam ſyderibus cœlum, quam Solis aurea ſplendore ſydera, hæc enim lucent radiis mutuatis; elocutio vero propriis corruſcat luminibus.

Itaque ut hanc quoque partem cum diſtinctione tractemus, agemus 1. De tropis. 2. De verborum luminibus, 3. De figuris ſententiarum, & hic pariter cum diviſione; loquemur enim 1. de figuris, quæ ad docen-

cendum. 2. De iis, quæ ad delectandum. 3. De reliquis, quæ aptæ ſunt ad movendum.

De Tropis.

TRopus ita dictus a verbo Græco trepo, quod ſignificat verto, vel muto, ſecundum Quinctilianum *eſt verbi, vel ſermonis a propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio*. E. G. Lætari proprium eſt hominis, quod aliquando ad aliud transfertur, & dicitur læta ſeges.

Dicitur*: mutatio a propria ſignificatione in aliam*, quia in efficiendis tropis, verba, quæ primo inventa fuerunt ad ſignificandum E. G. roſam, purpuram, corallium transferuntur ad ſignificandum aliquid aliud E. G. *Rubrum labiorum*.

Dicitur, *cum virtute*, quia hæc ingenioſa mutatio non temere, ſed maturo mentis conſilio fieri debet, neque verba quælibet traduci poſſunt ad ſignificandam quamcumque rem, ſed eas tantum, quæ habeant, & ſimilitudinem, & proportionem cum illa re, ad quam verbum traducitur. Hæc autem ſimilitudo, ut uberrimum aperiam vobis troporum fontem, erumpet, & dignoſcetur conſideratis, ſive ſubſtantia, ſive accidentibus, quæ in rebus omnibus ſunt; ita ut res poſſint eſſe ſimiles, vel propter ſubſtantiam, vel qualitatem, vel quantitatem, vel relationem, vel actionem, vel paſſionem, vel tempus, vel locum, vel ſituationem, vel motum, vel habitum. Itaque quotieſcumque vobis quis tropus effingendus occurrat, proponenda vobis eſt res aliqua, quæ ſimilitudinem habeat cum illa re, quam tropice explicare deſideratis; quæ ſimilitudo vobis obvia erit, ſi rem cum re conferentes, ſimilia in rebus illis ſua accidentia cum ſua ſubſtantia examinabitis.

Dicitur *verbi, vel ſermonis*, quia troporum duplex eſt ſpecies, altera eorum, qui fiunt mutatione unius

verbi, altera eorum, qui fiunt totius ſententiæ. Primæ ſpeciei ſeptem enumerantur,

1. Metaphora 2. Synedoche 3. Metonymia 4. Antonomaſia 5. Onomatopeja 6. Cathacreſis 7. Metalepſis.

Secundæ ſpeciei quatuor,

1. Allegoria 2. Periphraſis 3. Hyperbaton 4. Hyperbole.

De Methaphora.

Methaphora frequentiſſimus tropus, omniumque pulcherrimus, ut nihil ad elegantem ſpecioſamque orationem effingendam excogitari poſſit accommodatius, a Divo Auguſtino definitur *de re propria ad non propriam verbi alicujus uſurpata translatio.*

Fit duplicem ob cauſam, vel neceſſitatis, cum proprium deeſt vocabulum, ut gemma vitis, homo durus, & aſper, vel delectationis, cum proprio eſt melius, decentiuſque translatum, ut flumen ingenii, flumen eloquentiæ.

Superfluum videri poſſet proponere vobis fontes illos, unde elagantiſſimæ omnium methaphoræ profluunt, cum de hac re ſatis ſuperius dictum ſit, ubi de tropis in genere; Tamen ne videar removeri prorſus a præſtantiſſimis Rhetoricæ magiſtris, nonnullos hoc loco, licet paulo utilius attingam.

Methaphoræ igitur hauriri poſſunt.

1. A cœlo, & a rebus divinis, ut ſi *princeps* dicatur *lumen majeſtatis, regni Sol.*
2. Ab elementis, ut *flumen ingenii.*
3. A quinque ſenſibus, ut a viſu *ſplendor gloriæ, claritas vitæ*: ab auditu *Sonus eloquentiæ, concentus orationis*: ab olfactu *odor Sanctitatis, fætor vitiorum*: a guſtu *dulcedo ſermonis, morum acerbitas*: a tactu *durities ingenii, aſperitas orationis.*
4. Ab artibus, ut a re ruſtica *fructus virtutis, colere inge-*

ingenium : a militari *certamen literarum*, *dimicare cum vitiis*: ab equeſtri *calcar honoris*, *frænare cupiditates*: a medica *vulnus animi*, *ulcera Reipublicæ*: a nautica *portus ſalutis*, *difficultatum vortices*: a cæmentaria, *ædificium orationis*, *panegeum orationis*.

5. Ab epithetis, *vox ferrea*, *Ingenium plumbeum*, *cor lapideum*.

6. Si res animata pro alia animata aſſumatur, ut *Aquila* pro ingenioſo, *canis* pro maledicente. Referuntur huc omnes illæ translationes, cum dicimus hominem *dentibus ſendere*, *rudere*, *rugire*, *pipillare*, *volare*, & ſimilia, quæ cum ſint irrationabilium animalium, ad rationabilia transferuntur.

7. Si res inanimata pro inanimata, ut *mentis caligo* pro ignorantia.

8. Si res inanimata pro alia animata, ut *flumen eloquentiæ* pro viro eloquente.

9. Si res animata pro inanimata; ut *riſus pratorum* pro floriditate.

Quatuor in Methaphoris vitanda ſunt, rerum diſſimilitudo, turpitudo verborum, vocum aſperitas, & diminutio ſignificationis.

De Synedoche.

SYnedoche latine intellectio, tropus eſt ex parte totum ſignificans ut Cic. *Tecta ipſa miſera, quæ diſpari domino tenebantur;* vel eſt contra, ex toto partem, ut Virgilius. *Ipſius ante oculos ingens a vertice Pontus In puppim ferit.*

Vel ex ſpecie genus, ut Cic. *Ne hic parricida civium*; vel ex genere ſpeciem, ut idem Cic. *Illud funeſtum animal Clodius.*

Vel ex pluribus unum, ut Cicero de ſe loquens. *Nos, Nos oratores viſi ſumus*; vel ex uno plures ut Virg. *Hoſtis habet muros.*

Vel ex materie rem ex ipſa confectam, ut Virg.

Litore ahena locant alii.

Vel ex præcedentibus ſequentia ut Cic. *Fuit, fuit quondam iſta in Republica virtus.*

De Metonymia.

Metonymia ſive Hippallace, latine tranſnominatio, tropus eſt, qui fit

Cum inventorem pro re inventa ponimus, ut Ter. *Sine Cerere, & Bacco friget Venus.*

Cum ponitur præſes pro re, cui præeſt, ut *Neptunnus pro mare, Mars pro bello.*

Cum continens pro re contenta uſurpamus, ut Virg. *Pateras libate &c.*

Cum res contenta pro continente ſumitur; ut Virg. *Crateres magnos ſtatuunt, & vina coronant.*

Cum ex effectibus cauſæ ſignificantur ut Virg.

- - - - - - - - Meſtumque timorem
Mittite.

Vel ex cauſis effectus ut Mart.

Occubuit tandem cornuto ardore petitus.

Cum nomina locorum pro ipſis incolis uſurpantur, ſciut Cic. *Sicilia tota ſi una voce loqueretur, hoc diceret.*

Cum ex adjunctis res ſubjectas intelligimus, ut cum licet ex virtutibus, vel vitiis homines ipſos, ſeu bonos, ſeu malos ſignificamus, ut Cicero: *Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, avaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet.*

Cum ſumimus ducem pro ſuis militibus, ut *Teſtis Metaurum flumen, & Aſdrubal devictus*, vel auctorem pro opere, ut ſi dicamus: *Semper habendus eſt præ manibus Cicero.*

De Antonomaſia.

Antonomaſia latine pronominatio *eſt illa, quæ quodam externo cognomine demonſtrat id, quod pro-*

prio non poſſumus, aut nolumus demonſtrare. Fit autem tribus modis.

Si ponatur nomen appellativum pro proprio, ut *Philoſophos* pro Ariſtotele, *latinus Orator* pro Cicerone, *Angelicus Doctor* pro Divo Thoma Aquinate.

Proprium pro appellativo, ut *Nero*, pro crudeli, *Sardanapalus* pro luxurioſo, *Irus* pro paupere.

Patronimicum pro proprio, ut *Pelides*, pro Achille, *Anchinades* pro Enea, *Cytherea* pro Venere.

Tropus iſte cum fit ſumendo appellativum pro proprio, ita accommodari debet, ut ſit tantum proprium illius perſonæ, quam antonomaſtice explicamus; quod facile conſequemur, ſi nomen appellativum limitetur aliqua circumſtantia, quæ tantummodo conveniat eidem perſonæ, quam per Antonomaſiam deſcribimus, ut ſi pro Scipione dicamus everſorem Cartaginis.

Hoc ſemper obſervari debet, niſi aut paulum obſcure perſonam aliqua nominanda eſſet in oratione, aut ex præcedentibus antonomaſticis nominibus ſatis, ſuperque intelligi eadem poſſet, tunc etenim licet Oratori ita Antonomaſiam effingere, ut communis etiam ſit aliis.

De Onomatopeja.

ONomatopeja latine nominatio *eſt fictio nominis*; cum ſcilicet nova verba condimus, & præcipue cum in iis condendis imitamur naturam rei, quam per ipſa nomina de novo condita explicamus, ut Ennius; *At tuba terribili ſonitu taratantara dixit.*

De Catacreſi.

CAtacreſis latine abuſio nominis eſt licentior, & audacior Methaphora, in qua abutimur ſignificatione ad aliud ſignificandum, ut *Parricida*, pro Matricida, *breves vires* pro exiguæ, *ſermo parcus* pro brevis.

 Huc

Huc pertinet acriologia, quæ eſt impropria locutio, ut ſperare pro timere.

Differt Catacreſis a Methaphora, quia hæc accommodat vocabulum rebus proprium etiam non habentibus, quod ſæpe non facit Catacreſis, ut ſi dicatur *facies domus* pro anteriore parte; inſuper quia liberius, & audacius abutitur ſignificatione alicujus vocis, ut mox dicebam.

De Metalepſi.

Metalepſis latine tranſitio *tropus eſt ex alio in aliud gradatim conducens*, ut Virg.

Me quaterundenos ſciat impleviſſe Decembres & Ovidius.

Ut ſumus in Ponto ter frigore conſtitit Iſter.

De tropis Orationis.

Tropus orationis non in unius dictionis mutatione, ſed totius ſermonis translatione ſervatur; ita ut aliud ſenſu, aliud verbis ſignificetur; Hujus generis primus eſt, & facile omnium pulcherrimus.

Allegoria latine inverſio, quæ aliud verbis, aliud ſenſu demonſtrat, ut Horatius:

Contrahes Vento nimium ſecundo
- - - - - - - - - - *Turgida vela.*

Hoc eſt, in rebus proſperis ne te inſolenter efferas.

Allegoria ſecundum Quinctilianum ornatur duobus, ſimilitudine ſcilicet, & translatione. Similitudinem adhibet Cic. pro Mil. *Quod fatum, quem Euripum, tot motus, tantas, ac tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum.*

Translatione utitur idem Cic. 7. in Verrem: *Ipſe inflammatus ſcelere in forum venit, ardebant oculi, totoque ex ore crudelitas emicabat.*

Alle-

Allegoria, vel eſt pura, vel eſt mixta.

Pura eſt, quæ conſtat perpetua methaphora, ut Horatius:

O navis referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? fortiter occupa
Portum, nonne vides ut
Nudum remigio latus?
Et malus celeri ſaucius Africa
Antennæque gemant, ac ſine funibus
Vix durare carinæ
Poſſint imperioſus
Equor &c.

Mixta eſt, quando methaphoricis verbis propria verba admiſcemus, quæ methaphorica explicent, ut Cic. *Ego meam ſalutem deſerui, ne propter me civium vulneribus Reſpublica cruentaretur. Illi meum reditum non Pop. Rom. ſuffragiis, ſed fulmine ſanguinis intercludendum putaverunt.*

Hic adnotandum opus eſt, ut allegoria inhæreat aſſumptæ methaphoræ, ne eum cæperit a tempeſtate, deſinat incendio.

Ad allegoriam reduci poſſunt æquivocus, ænigma, & ironia.

Voces æquivocæ illæ dicuntur, quæ duplicem habent ſignificationem, ut Cic.: *Jus Verinum nequam*; & hæc duplex ſignificatio dupliciter haberi poteſt in vocibus, vel cum eadem vox duplicem habet phyſicam ſignificationem, ut eam videre potuiſtis in exemplo allato, vel cum idem vocabulum idem ſignificat, ſed diverſo ſenſu, hoc eſt, idem in ſenſu phyſico, & idem in ſenſu morali, ut vita quæ ſignificare poteſt, & vitam corporis, quæ cibo, & potu nutritur, & vitam animæ, quæ alitur Deo.

Æquivocus valet, tum ad copioſam, tum ad ornatam argumentationem in orationibus, & præcipue in heroum, ſeu in alterius laudibus, in quibus argumenta non egent tanta efficacia; ſed ſatis eſt, ut habeant aliquam ſpeciem veri.

Enigma

Enigma eſt obſcurior allegoria, in qua duplici, ſed paulo obſcuriore verborum ſenſu mentem audientium, ſeu legentium decipimus. In componendo ænigmata aſſumi ſolet methaphora, quæ ſit fundamentum totius enigmaticæ texturæ, eaque dum producitur, ornatur verbis, quæ faciant oppoſitum ſenſum, quæ alio nomine dicuntur paradoxa, & mirabile quidquam præfefertur. Hæc fundamentalis Methaphora, quo obſcurior eſt, eo venuſtius apparet ænigma. En vobis exemplum.

Padre ſon io di dodici figlioli
I quali ad un, ad un vado occidendo,
Mentre l'un dopo l'altro va naſcendo,
Il ciel vuol poi che l'ultimo m'ingoli.
Ma non sì toſto ſon di vita privo
Che ſon rinato, e nova vita io vivo.

Ironia latine ſimulatio, vel illuſio deludit adverſarium, ſuorumque argumentorum vim vertit in riſum Cic. pro Lig. *Novum crimen C. Cæſar, & ante inauditum tulit, &c. Ligarium in Africa fuiſſe.* Venuſtus eſt hujus tropi contextus, cum poſt ironica dicta oratio gravis inſurgit, vel prorumpit in inflammatas exclamationes. Cic. in Piſ. *At audiſtis Philoſophi vocem: negabit ſe triumphi cupidum fuiſſe; O ſcelus; o peſtis! o labes!* Hic tropus omnem vim habet in pronunciatione, quæ debet eſſe amarulenta, & ſæpe adjuvatur iſtis particulis, o, profecto, equidem, ſane, quidem &c. ex quo evenit, quod Ironia aliud verbis, aliud ſenſu ſignificat.

Periphraſis latine circumlocutio *tropus eſt, in quo, pluribus verbis explicatur, quod poterat uno, aut certe paucioribus*; Fit autem pluribus modis.

Primo poſito nomine Sectæ, vel Patriæ loco proprio, *ut voluptuariæ Scholæ Princeps pro* Epicuro: *Venuſinus Poeta* pro Horatio. Secundo per definitionem dialecticam, cum oſtenditur quod ſit res per intrinſeca, & eſſentialia rei, ut ſi pro homine dicas *animal rationis particeps.*

Ter-

Tertio per ethimologiam, ut ſi pro duce dicas: *ille, qui præeſt Reipublicæ, ſeu militibus.*

Quarto per definitionem rhetoricam, cum oſtenditur qualis ſit res per extrinſeca, & accidentalia rei, vel quamcumque circumſtantiam, ut ſi pro homine dicas: *animal erectum, in plume, providum, plenum conſilii &c.* & ſi pro ignaro dicas: *ignorantiæ tenebris obcæcatus.*

Cavendum eſt ne in periſologiam migret periphraſis, vertitur enim in vitium, quod eſt virtus.

Hiperbaton latine verbi tranſgreſſio *tropus eſt, quo tranſgredimur grammatici ordinis leges, ejus etenim eſt,* nulla habita ratione grammaticæ conſtitutionis, ita vebra inter ſe connectere, ut inde in oratione conſonantia conſurgat. Cic. pro L. Man. *Fidem vero ejus inter ſocios quantum exiſtimari putatis, quam hoſtes omnium gentium Sanctiſſimam eſſe judicarint.*

Hinc naſcitur Tmeſis, quæ ejuſdem vocis compoſitæ partes, interpoſito vocabulo, ſeparat, *ut per mihi gratum feceris,* & Virg.

Hac Trojana tenus fuerit fortuna ſequuta.

Hiperbole latine ſuperlatio *tropus eſt excogitatus ad aliquid augendum, vel minuendum,* ut Cic. *Melle dulcior fluebat oratio*; & Juvenalis de Pigmeis:

Tota cohors pede non eſt altior uno.

Fit autem variis modis.

1. Cum ponitur ſubſtantivum loco adjectivi, ut *peſtis* pro peſtilenti, *ſcelus* pro ſceleſto.
2. Deducitur a ſimilitudine, ut *Caribid voracior, vitro fragilior.*
3. Ab exemplis, ut *Sampſone fortior, Penelope caſtior.*

De Verborum Luminibus.

SUnt quædam figuræ quæ habent ſuum ſplendorem, & lumen in verbis: ita ut verbis iis mutatis, quæ figuram effingunt, figura penitus deperdatur.

Eæ

Eæ figuræ comprehendunt illas, quæ fiunt, vel adjectione, vel detractione, vel ſimilitudine.

De Figuris, quæ fiunt per Adjectionem.

Fiunt iſtæ figuræ repetitione alicujus vocabuli, quod ponitur in oratione, non ad neceſſitatem, ſed ad ornatum ſermonis, quæ repetitio cum vocetur adjectio, quia adjicit verbum non neceſſarium; ideo iſtæ figuræ dicuntur figuræ adjectionis. Harum prima eſt Epixeuſis, latine duplicatio, quæ duplicat idem vocabulum, vel ſtatim, ut Cic. *Crux, crux, inquam, infelici, & ærumnoſo parabatur*; vel interpoſita aliqua conjunctione ad majorem vehementiam dicendi, ut idem Cic. *Vivis, & vivis, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam*; vel parentheſi, ut dictus Tullius 2. Phil. n. 64. *Haſta poſita pro æde Jovis Statoris, bona (me miſerum, conſumptis enim lacrimis infixus tamen animo hæret dolor) bona, inquam G. Pompei voci acerbiſſimæ præconis ſubjecta*. Præterea non tantum verbum, ſed etiam aliquando, ferveſcente oratione, integrum ſenſum congeminat, ut Cic. *Nunc etiam audes in horum conſpectum venire, proditor patriæ, proditor, inquam, patriæ nunc audes etiam in horum conſpectum venire*. Hæc figura fit tum ad vehementiam, tum ad dilucidationem orationis.

Anaphora latine repetitio, in principio membrorum repetit idem vocabulum. Cic. 1. in Cat. *Nihil ne te nocturnum præſidium palatii : nihil urbis vigiliæ; nihil timor populi; nihil conſenſus bonorum omnium moverunt?*

Antiſtrophe latine converſio, contraria eſt anaphoræ; nam repetit idem vocabulum in fine membrorum. Cic. *Doletis tres exercitus P. R. eſſe interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis cives? eos eripuit Antonius. Res afflicta eſt? afflixit Antonius.*

Com-

Complexio repetitionem, & converſionem complectitur; repetit enim idem vocabulum in principio, idemque, ſed diverſum a primo in fine membrorum. Cic. pro Mil. *Quis eos poſtulavit? Appius. Quis produxit? Appius.* Hæc figura valet potiſſimum in exagerandis virtutibus, ſeu vitiis. Sit explicanda hæc ſententia. Scipio extinſit Carthaginem; ita per hanc figuram poterit explicari. *Quis victorem Pœnum compreſſit? Scipio. Quis Annibalis debacchantem potentiam proſtravit? Scipio. Quis æmulæ Reipublicæ vires extinſit, ſoloque muros æquavit? Equidem Deorum immortalium conſilio tam egregium opus præſtare valuit incredibilis, ac prope divina virtus Scipionis.*

Epanalepſis latine reſumptio verbum repetit in principio, & fine ſententiæ. Cic. Philip. 2. *Suſtulit illum diem fortuna P. R. Num etiam de auſpiciis judicium interitas Cæſaris ſuſtulit?*

Climax latine gradatio, vel aſcenſus, quaſi quibuſdam gradibus de nomine in nomen, illud ſemper repetendo deſcendit vel aſcendit. Cic. pro Seſto Roſcio Ame. *In urbe luxuries creatur, ex luxurie exiſtat avaritia neceſſe eſt, ex avaritia erumpit audacia, inde omnia ſcelera gignuntur.*

Nobiliore fit ſtilo, quando leviora initio ſubjicit, & ad graviora per comparationem aſcendimus, v. g. Præclarum eſt amare in Chriſto pauperes; præclarius cum Chriſto eſſe pauperem; liberale eſt tribuere facultates; liberalius ſe ipſum. Generoſum eſt colligere mendiculos, generoſius velle vivere mendicato, rarum eſt de ſolio pannoſos paterne reſpicere; rarius ſolium, & ſceptrum pannis, & inopia commutare.

Hæc figura ita accepta adhiberi ſolet ad augendum inſigne aliquid, ſeu turpiter, ſeu honeſte factum.

Poliptoton latine traductio mutat dictionem illam variando ſeu per caſus, ut *Senatus eſt ſummi imperii conſilium, Senatui reipublicæ cura demandatur, & Senatum in dubiis, periculoſiſque rebus omnis Civitas reſpicit;* ſive per numeros, ut *grata ſemper ſingulis fuerunt,*

runt, quæ commodi eorum cauſa conſtituta ſunt, gratus ille ſuperior Africanus fuit Senatoribus; ſive per genera, *ut pleni ſunt omnes libri, plenæ ſapientium voces, plena exemplorum vetuſtas.*

Pariter hæc figura orationis vehementiam, & venuſtatem, quæ etiam fit variando verba per tempora, & nomina per conjugata.

Synonimia latine communio *eſt nominum, vel verborum idem ſignificantium congeries*. Cic. in Piſ. *Ego te non vecordem, non furioſum, non mente captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem.* Etin Cat. *Abjit, evaſit, exceſſit, erupit.*

Adhibetur hæc figura ad comparandam dignitatem, & armoniam orationis, & fieri ſolet, quoties uno verbo non ſatis videtur dignitatem, vel magnitudinem rei explicare; ideoque in eam ſignificationem plura congerimus.

Polyſinheton latine conjunctio, *conjunctionum copia articulos ornat*. Cic. *Ille me præ ceteris, & colit, & obſervat, & diligit*; & Ovid.

Nec prece, nec pretio, nec movet illa minis.

Fit hæc figura ad majorem vehementiam, & ardorem dicendi.

Emphaſis latine ſignificatio fit cum ſubeſt in verbis tacita quædam ſignificatio, quæ pronunciatione ſignificetur, e. g. *Cretenſis fidem habes*, id eſt, nulla fides habenda eſt homini doloſo, & mendaci.

De Figuris per detractione.

Figuræ, quæ fiunt per detractionem, detrahunt in oratione aliquod vocabulum, quod in ea non ſit neceſſarium. Harum prima eſt.

Synedoche latine intellectio, ſed diverſa a tropo, quæ ſubtractum verbum ex ceteris intelligit. Cic. in Verrem. *Videre conjux, ipſe cachinnari &c.* Subintelligitur, cæpit.

Zeugma, latine adjunctio plures ſenſus uno verbo con-

connectit. Cic. *Nulla poſſeſſio, nulla vis auri, pluriſquam virtus exiſtimanda eſt.*

Aſyntheton latine diſſolutio, ſine copulis exponit ententiam, ut concitatiorem efficiat orationem. Virg.

Ferte citi flammas, date vela, impellite comas:

De Figuris ſimilitudinis.

Figuræ hujus generis dicuntur figuræ ſimilitudinis, quum vox voci terminatione fere ſimilis, ſed ſenſu diſſimilis ſubjungitur. Harum prima eſt.

Paranomaſea latine annominatio, quæ in oratione voces fere ſimiles iiſdem literis, aut paululum immutatis connectit. Cic. in Antonium. *Cum in gremio minarum mentum, & mentem deponeres.*

Hæc figura tripliciter ſolet fieri, vel mutatione litteræ, ut *orbis, & urbis, lacus, & locus, orator, & arator;* vel adjunctione, *ut fama, & flamma, leges, & legiones;* vel translatione, *ut parvus, & pravus.*

Reducuntur anagramata, quibus ex vocibus programmatis componuntur, aliæ voces diverſæ ſignificationis ſumendo eaſdem pene litteras, quæ programma componunt, e. g. Sit programma. *Stefano Protomartire*, fit anagramma iiſdem literis, ſed diverſa collocatione. *Santo morto fra pietre.* Reducuntur voces æquivocæ, de quibus ſuperius actum fuit. Reducuntur carmina retrograda, quæ inverſo calle eodem modo leguntur, hoc eſt, ſeu a principio, ſeu a fine legantur, eodem modo leguntur, ut eſt illud de Papilione:

In girum imus noctu, ecce ut conſumimur igni.

Omeoptoton latine ſimiliter cadens figura eſt, in qua *verba in eadem tempora, & nomina in eoſdem caſus deſinunt, ut :· Quod tam comune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis.*

Omeotoleuton latine ſimiliter deſinens elocutio eſt, *in qua membra, ſeu articuli ſimili exitu clauduntur.* Cic. pro Mil. *Eſt tamen felix Imperator, ut ejus voluntati, non modo cives aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint,*

rint, ſed etiam venti, tempeſtateſque obſecundarint.

Hyſocolon latine compar *orationis membra fere æquali numero ſyllabarum dimetitur*. Cic. pro lege Man. *Tam periculoſum bellum Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.*

Antitheſis latine contrapoſitum, *ex contrariis verbis conficit orationem*. Virgilius.

. . . . . *Audetque viris concurrere virgo.*

Hæc figura habet majorem venuſtatem, ſi antitheſis æqualitate membrorum continuetur, e. g. *Facta juvenum, conſilia virorum, vota ſenum*; ſi verba invertantur, e. g. *Dum cogitas agenda, non agis cogitanda*; *vel ſemibovemque virum, ſemivirumque bovem*; ſi conjugatis ornetur, e. g. *Divites odit, divitias amat*; aut ſi idem ſit agens, & patiens, e. g. *Qui terras ignibus urit, uritur igne novo*; aut demum, ſi idem negemus quod affirmamus, e. g. *Sparta ibi muros habet, ubi non habet.*

De Figuris Sententiarum.

AGgredimur jam partem elocutionis, in qua totius rei cardo vertitur; cum etenim totum oratoris opus in eo ſit, ut doceat, delectet, & moveat, nemo evadet bonus Orator qui has figuras ignoraverit; propterea quod illis tantum docemus, delectamus, & movemus. Figuræ igitur quæ a Græcis ſchemata dicuntur, definiri ſolent *ornatus quidam orationis, a communi ratione dicendi remoti*. Figuræ autem Sententiarum diſtinguuntur a figuris verborum in eo, quod illæ in verbis, iſtæ in rebus ipſis ſplendorem habent, & dignitatem.

Triplicis generis adſignantur; aliæ docent; aliæ delectant; aliæ movent.

De

De Figuris aptis ad docendum.

DIcuntur iſtæ figuræ aptæ ad docendum, quia illis inſtruimus, atque docemus. Harum prima eſt. Subſtentatio, cui locus potiſſimum eſt in narrationibus. *Hac ſuſpendimus auditoris mentem nova ſemper inquirendo, eaque rejiciendo, donec rem exprimamus, quam animo reconditam tenemus.* Cic. Ver. 7. *Res delata ad iſtum ſtatim, ut par fuit, juſſu ejus homines, qui nominati fuerant, comprehenſi ſunt, adveƈtique Libeum, domino denunciatum eſt, ut adeſſet, cauſſa diƈta damnati ſunt. Quid deinde? Quid cenſetis? Furtum fortaſſe, aut prædam expeƈtatis aliquam? Nolite uſquequaque eadem quærere; in metu belli, furandi quis locus eſſe poteſt?* Deinde multis interjeƈtis ſequitur etiam: *Nunc mihi expeƈtare videmini Judices: quid deinde faƈtum ſit; quod iſte nihil unquam fecit ſine aliquo quæſtu, aut præda. Quid in ejuſmodi re fieri poteſt; quod commodum eſt? Expeƈtate facinus, quam vultis improbum; vincam tamen expeƈtationem omnium. Nomine ſceleris, conjurationiſque damnati, ſupplicium adduƈti, ad pallum alligati, repente multis millibus hominum inexpeƈtantibus, ſoluti ſunt, & Leonidæ illi Domino redditi.*

Hæc figura eloquentior evadit, cum dubitationem habet adjunƈtam. Valet ad exagerandum, vel minuendum faƈtum, tum in laude, tum in vituperatione.

Alia ſubſtentationis ſpecies eſt, cum per varios auƈtores rem circumferimus, & inquirimus, cui tribuenda ſit a ſingulis eam rejiciendo; donec illum inveniamus, in quem noſtra ſe ſe ferat oratio.

Hoc modo traƈtari poſſet de morte Chriſti, primo increpando carnifices, e quibus deferatur in prætorem, ex prætore in Hebræos, ex Hebræis in Judam

traditorem, contra quem poſtremo acuat oportet ſuum ſtilum oratio.

Valet ad laudandum, vituperandum, minuendum, & jocandum.

Præoccupatio fit *cum nos prævertimus ea, quæ ab adverſariis objici poſſunt, & eſt tacitarum objectionum cum præventione everſio.*

Hæc plurimum valet in exordiis, confutationibus, & confirmationibus: utilis eſt, ac neceſſaria, quia tollit ex auditorum animis impedimenta reſidentia, & magis noſtram confirmat cauſam. Requirit autem magnam Oratoris prudentiam, debet enim prævidere auditorum ſenſus, & penitus noſcere, quid vel prodeſſe, vel obeſſe cauſſæ poſſit. Inſuper animadvertat oportet, ne quid afferat, quod ab auditorum judicio diſcrepet. Cic. 1. in Verrem. *Siquis veſtrum Judices, aut eorum, qui adſunt, forte miratur, me qui tot annos in cauſis, judiciiſque publicis ita ſim verſatus, ut defenderim multos, læſerim neminem, ſubito nunc mutata voluntate ad accuſandum deſcendere; is ſi mei conſilii cauſam rationemque cognoverit, una, & id, quod facio, probabit, & in hac cauſa profecto neminem mihi eſſe præponendum actorem putabit.*

Fit per confeſſionem, emendationem, prædictionem, præſumptionem, depulſionem.

Subjectio *concedit, & fatetur aliquid, ſed ſtatim aliud firmius opponit. Vel ea, quæ ab adverſariis dici poſſunt, breviter, ac per partes proponuntur, tum ad ſingula reſpondetur, & omnibus repudiatis melius totum concluditur.*

Hæc maxime illuſtrat orationem, præcipue, cum aliquem interrogamus, & ſubito nos ipſi per firmam ſententiam reſpondemus. Divus Hieronymus Epiſt. XI. ad Ruffinum. *Quid agis, frater, in hoc ſæculo, qui major es mundo? Paupertatem times? beatos pauperes Chriſtus appellat: pavore terreris? At nemo Athleta ſine ſudore coronatur: de cibo cogitas? ſed fides famem non timet: ſuper nudam metuis humum exæſa jejuniis mem-*

membra collidere? Sed Dominus tecum jacet: Squallidi capitis horret inculta cæſaries? Sed caput tuum Chriſtus eſt: te terret infinita eremi vaſtitas? ſed tu Paradiſum mente deambula: Delicatus es, ſi & vis gaudere cum ſæculo, & regnare cum Chriſto.

Fit etiam ſine interrogatione. Div. Cyprianus Epiſt. 77. *Non ſovetur in culcitris corpus molliter; ſed refrigerio, & Chriſti ſolatio ſovetur. Humi jacent feſſa laboribus viſcera; ſed pœna non eſt cum Chriſto jacere &c.*

Valet ad ornandum, hortandum, dehortandum, docendum ac refellendum.

Communicatio figura eſt, *qua cauſæ noſtræ confidentes, vel ipſos adverſarios conſulimus, vel cum judicibus quid faciendum ſit, quidve factum oportuerit, deliberamus.* Cic. 2. in Verrem. *Nunc ego vos conſulo, judices, quid mihi faciendum putetis; id enim conſilii profecto taciti dabitis, quod ego met mihi neceſſario capiendum intelligo.*

Interdum communicationi conjuncta eſt reſponſio, & expeditio propoſitæ dubitationis. Cic. pro Quinctil. *Ego pro te nunc hoc conſulo, poſt tempus in aliena re, quod tu in tua, cum tempus erat conſulere oblitus es. Quæro abs te C. Aquili, L. Lucullè, M. Marcelle, vadimonium mihi non obiit quidam ſocius, & affinis meus, qui cum mihi neceſſitudo vetus, controverſia de re pecuniaria recens intercedit: Poſtulante a Prætore, ut ejus bona mihi poſſidere liceat? an cum Romæ domus ejus, uxor, liberi ſint, domum potius denunciem? quid eſt, quod hac tandem de re vobis poſſit videri? profecto ſi recte veſtram bonitatem cognovi, non multum me fallit, ſi conſulamini, quid ſitis reſponſuri: primum expectare: deinde ſi latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos convenire, quærere, quis procurator ſit, domum denunciare &c.*

Valet ad refellendum, efficax eſt ad ſtuporem, ad faciendam fidem, ad ſedandam iracundiam, ad excitandam commiſerationem &c.

Conceſſio exornatio eſt, *in qua videmur aliquid iniquum, vel pati, vel adverſario concedere fiduciæ cauſſa*. Fit vel ſerio, vel ironice. Serio fit a Cic. pro S. R. Am. *Utrum quid agatur, non vides, aut apud quos agatur? agitur de parricidio quod ſine multis cauſis ſuſcipi non poteſt; apud homines autem prudentiſſimos agitur, qui intelligunt neminem, ne minimum quidem maleficium ſine cauſſa admittere: Eſto: cauſam proferre non potes, tametſi ſtatim viciſſe debeo; tamen de meo jure decedam, & tibi, quod in alia cauſſa non concederem, in hac concedam fretus hujus innocentia. Non quæro abs te, quare Patrem S. Roſcius occiderit, quæro quomodo occiderit.*

Ironice fit ab eodem Cic. quarta in Ver. *Quæ eſt iſta prætura? eripis hæreditatem, quæ venerat a propinquo, venerat teſtamento, venerat legibus, cujus hæreditatis cum ille aliquanto ante te prætorem eſſet mortuus, controverſia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo. Verum eſto: eripe hæreditatem propinquis, de palæſtritis; prædare in bonis alienis, nomine civitatis; everte leges, teſtamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum: Num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit?*

Conceſſio fit etiam, vel *cum concedimus id, quod ei nocet, cui conceditur; vel cum concedimu ea, quæ negari non poſſunt, ut alia majoris momenti deeſſe dicamus, aut meliora ſubjungamus.*

Conceſſioni ſimilis eſt permiſſio, niſi quod hæc illa multo gravior eſt, & amarulentior. Cic. 1. in Cat. *Perge Catilina, quo cæpiſti; egredere aliquando ex urbe; patent portæ, proficiſcere: nimium diu te Imperatorem illa tua Manliana caſtra deſiderant; educ tecum etiam omnes tuos: purga Civitatem &c.*

Interpretatio *dictum, aut factum alicujus juxta ſententiam, & mentem noſtram, non juxta auditoris ſenſum interpretatur*. Cic. 6. in Var. *Superbum eſt, Judices, & non ferendum dicere, Prætorem in Provincia homini honeſto, locupleti, ſplendido, unde mihi vaſa cælata; hoc eſt enim dicere, non es dignus tu, qui habeas,*

quæ

quæ tam bene facta ſunt : meæ dignitatis iſta ſunt.

Figura elegantior, ſi ex duabus partibus, quas interdum habeat, unam tanquam altera deteriorem, alteram tamquam alia meliorem interpretemur. Alexander dixerat. *Niſi Rex eſſem, Diogenes eſſe vellem.* Plutarcus hoc dictum ita interpretatur : *Non dixit, niſi Rex eſſem, Diogenes eſſem, non dixit, niſi dives eſſem &c. neque enim præhabebat Sapientiæ fortunam; aut vili lacerna diadema; ſed dixit, niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſem; id eſt, niſi opere potius, quam verbis certum eſſet philoſophari : niſi univerſum continentem, non tam paſſibus, quam victoriis circuire : niſi barbaras gentes græcis inſtitutis excolere, non equidem in otio deſidens, potentiam meam ad luxuriandum contuliſſem; ſed frugalitatem Diogenis æmulatus fuiſſem.*

Huc pertinet factorum, atque dictorum, quæ brevia ſunt, prolixior interpretatio, quæ ut plurimum, his notis conficitur, *quaſi dicat, ideſt, hoc eſt, ut ego arbitror, ut opinor &c.*

Correctio duplex eſt : altera verbum retractat, ſeu corrigit : altera ſententiam. Primo modo verbum retractat, nullo alio meliore ſubjecto. Cic. pro Mur. *Atque hæc cives, cives inquam, ſi hoc nomine eos appellare fas eſt, qui hæc de Patria ſua cogitant?* modo verbum pro verbo aptius reponit. Cic. pro Cæcin. *O ſtultitiam! ſtultitiam ne dicam, an impudentiam ſingularem?*

Secunda, quæ ſententiam corrigit, hoc modo fit, cum ſcilicet id, quod prius dictum eſt, acute, ſubtiliterque corrigi videtur. Cic. 2. Offic. *Italiam ornare, quam domum non ſuam maluit; quanquam Italia ornata, domus ſua mihi videtur ornatior.*

Hæc figura elegantior eſt, ſi fiat adhibita etiam Paranomaſia : *ut hunc medicum laudabo, ſeu potius mendicum?*

Fit etiam correctio, cum ex ignorantia aliquid omiſiſſe fingimus, & adverſarium interrogamus; ſeu

alio modo cum per diverſas ambages reduci memoriam fingimus, quod excidiſſe monſtravimus.

Congeries eſt rerum, aut verborum, aut argumentorum, aut exemplorum collecta multitudo, quæ efficit orationem concitatiorem, & plurimum valet ad amplificandum.

Verborum congeries *eſt ingenioſa conglobatio multorum verborum idem ſæpe ſignificantium*. Cic. pro Mil. *Vide quam ſit varia, commutabiliſque vitæ ratio: quam vana, volubiliſque Fortuna, quantæ infidelitates in amicis; quam ad tempus aptæ ſimulationes: quantæ in periculis fugæ proximorum: quantæ timiditates.*

Rerum congeries *eſt collectio rerum plurimarum ad rem, de qua diximus, ſpectantium*. Si velitis e. g. commendare in aliquo ſcientiam militarem, per congeriem rerum ita vobis eloquendum eſſet. *Nec ea tantum militiæ decora putabat, equum flectere, tela ſpargere, caſtris habendis aptare locum, locorum diſtantiam oculorum dimenſione finire, vallum jacere ſcienter, ad certum locum deſtinata librare tormenta*, & cetera quam plurima &c.

Argumentorum congeries *fit congerendo argumenta, hoc eſt, cum ex variis effectibus, aut cauſis, aut circumſtantiis conglobatis varia argumenta concludimus*. Si poeſim commendare velitis, ita congerere argumenta poteritis. *Quid eſt, quod de eloquentiæ laude concedat oratori Poeta? aut quæ pars illius laudes abeſſe poſſit ab ornato poeta, & perfecto? delectat audientium multitudinem eleganti oratione, atque numeroſa: tu Orator quid quæris amplius? erigit adſtantium mentes magnifica verborum, & ſententiarum gravitate, præcellit admiratione; ſtupore defigit, in eo commotus auditor exhorreſcit, applaudit, gaudet, ridet, dolet, probat, favet, audit, contemnit, iraſcitur, invidet, ad miſericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum miratur, ſperat, timet &c.*

Exemplorum congeries ea *eſt, in qua congeſta ſimul exempla inducuntur*. Eadem poeſis laus per exemplo-

plorum congeriem ita explicatur : *Jactet illa ſane Gorgias lampades ſuas, quibus in hominum mentes non motus, ſed flammas ſpargebat : inſtrumenta naturæ atque ingenii venditor Prodicus : doctrinæ ſuppellectilem Hippias oſtentet : efferat ſe ſe Licias exagerata magnitudine vincendi lepore, ac ſuavitate luxuriet Pericles : Ego vero nihil optimo poeta, vel ad naturæ indolem ingenioſus, vel ad motuum ardorem vehementius, vel ad voluptatem jucundius eſſe profiteor.*

Hæc figura præcipue habet locum in perorationibus, in quibus, quæ tota oratione ſparſa ſunt, colliguntur. Valet in narrationibus ad brevitatem, in increpationibus, & in exornationibus.

Anthitheſis figura *eſt, in qua, vel verba verbis, aut ſententiæ ſententiis oppoſitæ referuntur*. Hæc dilucidat, & exornat orationem; dilucidat quidem, quia contraria contrariis oppoſita majorem vim, ſplendoremque referunt. Exornat autem, quia illa contentio, & vocum concentu, & varietate colorum parit orationi jucunditatem. Cic. 2. in Verr. *Confert hanc pacem cum illo bello; hujus prætoris adventum, cum illius imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto; hujus libidinem cum illius continentia.*

Hæc figura delectat, odium excitat, commiſerationum ciet, & dolorem, ſtuporem facit, & admirationem. Valet ad facetias.

Hæc figura fit, vel per ſimplicem, vel per compoſitam contradictionem.

Per ſimplicem contradictionem fit, cum in uno, eodemque membro verba oppoſita referuntur ut lex ex lex, mors vitalis, & hujuſmodi, ut illud Cicer. *Quis ferre poſſet inertes homines fortiſſimis inſidiari, ſtultiſſimos prudentiſſimis, ebrioſos ſobriis, dormientes vigilantibus?*

Per compoſitam contradictionem fit, cum membra ſibi invicem pugnant, & hoc modo tripliciter; vel per oppoſitionem in verbis inciſim, & cum repetitione dicendo, ut Cic. 2. in Catil. *Ex hac parte pudor,*

pugnat, illinc petulantia; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus: hinc honeſtas, illinc turpitudo; *vel per comparationem*, quod ſemper fit cum aliquo juramento. Siquis e. g. martyrum conſtantiam cum Scævola comparare vellet, ſic ſermonem inſtitueret: *Ille manum crepitantibus flammis objecit: iſti corpora ſuppliciis excarnificanda dederunt*. Ille ad breviſſimum tempus: iſti multos dies, & annos, graviſſima tormenta pertulerunt. Vel per commutationem, hoc eſt per contrarietatem ſenſus cum verborum inverſione; cum nimirum duæ ſententiæ ſic inter ſe diſcrepantes efferuntur, ut a priore poſterior contraria priori procificiſcatur. Cic. pro Quin. *Mavult commemorare ſe, cum poſſet perdere, peperciſſe, quam cum parcere potuerit, perdidiſſe.*

In argumentorum contentione antitheta occulant artificium, neque tam ſcrupuloſe membra membris referantur, ſed per congeriem commiſceantur.

Prætermiſſio ea *eſt, qua profitemur nos præterire, aut non ſcire, aut id nolle dicere, quod tunc maxime dicimus*. Cic. 6. in Verrem: *Audiſtis, quæ nunc ego omnia prætermitto, ac relinquo, nihil de luxuria Apronii loquor: nihil de inſolentia: nihil de ſingulari nequitia, ac turpitudine: tantum de quæſtu, ac lucru dicam.*

Hæc figura fit interdum ab Oratore, ſtudio vitandæ verborum obſcænitatis. Interdum ut plus in ſuſpicione relinquat, quam ſi omnia diceret, interdum, ut ſimul congeret ea, quæ ſunt levioris momenti; Interdum ut ſibi modum imponat, ne ſibi adverſarium videatur, ultra quam debeat urgere.

Oppoſitio fit, *cum dictum, vel factum objectis aliorum ſententiis aut exemplis refellimus*. Sit e.g. reprehendenda in conſectandis honoribus hominum ardens cupiditas per oppoſitionem ita eloqui poſſemus: *Quis nam eſſet piorum ſenſus, ſi labores, ac pericula pro vaniſſimis honoribus ſuſcepta, liceret intueri? Quæ Ambroſii mens, qui ad Mediolanenſem quæſitus inſulam, ſemel, iterumque delituit? Qui animus Gregorii, qui cum faſti-*

faſtigiatum pontificatus apicem effugere non poſſet, dolio abditum in vicinum montem deportari ſe juſſit?

Hæc figura cohortationi ſervit, & dehortationi, ſeu verecundiam, ſeu ignominiam in auditores excitare velimus.

Suppoſitio fit, *cum, ut melius intelligatur, quam verum ſit, quod confirmamus rem ſtatuimus in contrario, docemuſque, quid futurum fuiſſet, ſi ſe res aliter habuiſſet.* Sit e. g. demonſtranda infidelitas Hebræorum, qui negent in Chriſtum credere, ex eo quod ſigna in Cœlo viderint; ſuppoſitis ſignis, ita eorum incredulitatem probabimus: *Heja ſurſum dentur de cœlo ſigna, quid inde? Fortaſſe credent in Chriſtum? Quid fecerint de iis, quæ cælitus venerint? Argumentum equidem ſument pervicacioris incredulitatis, iiſque reſpondebunt, & Magos in Ægypto Signa multa de cœlo feciſſe.*

Partitio *res plurimas, aut perſonas, aut negotia dividit, & quod ſummatim dici poterat, accuratius, & fuſius in ſuas partes diſtribuit.* Cic. pro Muren. commendans Cæſaris clementiam: *ut vero hujus gloriæ Cæſar, quam es paulo ante adeptus, ſocium habeas neminem: totum hoc, quantumcumque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi ex iſta laude Centurio: nihil præfectus: nihil cohors: nihil turma decerpit; quin etiam illa ipſa rerum humanarum domina fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert; tibi cedit; tuam eſſe totam, & propriam fatetur.*

Huc refertur diviſio, quæ diſtribuit rem in ſuas partes. Cic. pro Quin. *Quæ res in Civitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore ſumma gratia, & eloquentia, quarum alteram vereor, alteram metuo.*

Revocatur etiam ſubdiviſio, *quæ diviſa iterum dividit.* Cic. pro Quinc. *Juſſit bona proſcribi ejus qui cum familiaritas fuerat, ſocietas erat, affinitas, liberis iſtius vivis, divelli nullo modo poterat; qua ex re intelligi facile potuit, nullum eſſe officium tam ſanctum, atque ſolemne, quod non avaritia comminuere, atque violare ſoleat. Etenim ſi veritate amicitia, fide ſocietas,* pieta-

pietate propinquitas colitur, neceſſe eſt iſte, qui amicum, ſocium, affinem, fama, ac fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum te, & perfidioſum, & impium eſſe fateatur.

Subdiviſioni additur redditio, *qua ſingulis diviſionis, partibus ſingula inferius reſpondent.* Cic. pro Rab. Atqui *videmus hæc in rerum natura fuiſſe tria, ut aut cum Saturnino eſſet aut cum bonis, aut lateret; Latere mortis inſtar erat turpiſſimæ, cum Saturnino eſſe furoris, & ſceleris, virtus, honeſtas, & pudor cum conſulibus eſſe cogebant.*

Placuit mihi huc referre expoſitionem, *qua commutatis verbis eadem ſententia varie verſatur, & effertur quo gratior, clariorque ſubjiciatur oculis.* Cic. pro S. R. Am. *Vides Eruti, quantum diſtet argumentatio tua ab ipſa re, atque veritate: quod conſuetudine patres faciunt, id quaſi novum reprehendis: quod benevolentia fit, id odio factum criminaris: quod honoris cauſa Pater filio ſuo conceſſit, id eum ſupplicii cauſa feciſſe dicis.*

De Figuris aptis ad delectandum.

TRita loquendi ratio perſæpe moleſtiæ eſt, & faſtidio, unde confugiendum eſt ad figuras, quoniam ex iis paritur delectatio ſermonis. Harum prima eſt.

Deſcriptio, quæ definitur: *perſpicua rerum, ac dilucida cum gravitate expoſitio*; fitque per collectionem proprietatum adjunctorum, & conſequentium rei ejuſdem, quæ deſcribitur. Variæ ſunt hujus ſchematis ſpecies, videlicet.

Proſographia latine nominatio, *quæ deſcribit veram, vel falſam perſonam, expreſſis animi, corporis, ac fortunæ attributis.*

Ethopæja dicitur hæc figura, cum vitam, & indolem deſcribit; ita ut in morum cognitionem aliquem adducant Cic. poſt Red. in Sen. deſcribit Gatinium

mol-

Digitized by Google

mollem, & effæminatum hoc pacto: *Primum proceſſit, qua auctoritate vir? Vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce, & temulenta.*

Deſcriptio fictæ perſonæ, vel rei fit, *cum ſenſu, ac corpore carenti, ſenſum, vel perſonam, & corpus affingimus*; cujus rei exempla innumera apud poetas inveniuntur.

Topographia eſt *veri loci deſcriptio*. Cic. 4. in Ver. deſcribit urbem Syracuſas hac methodo: *Urbem Syracuſas, maximam eſſe græcarum Urbium, pulcherrimamque omnium ſæpe audiſtis: eſt ita, ut dicitur; nam & ſitu eſt communita, tum ex omni aditu, vel terra, vel mari præclaro ad aſpectum: & portus habet prope in ædificatione, aſpectuque urbis incluſos; qui cum diverſos inter ſe aditus habeant, in exitu conjunguntur, & confluunt. Ea tanta eſt Urbs, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare videatur, quarum una ea eſt, quam dixi, inſula, quæ duobus portubus cincta in utriuſque portus oſtium, aditumque projecta eſt &c.*

Cronographia *eſt deſcriptio temporis qua ſubjiciuntur, quæ in tempore dicuntur, & accidunt*. Vir. Cr. Æne.

Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes
Alituum, pecudumque genus ſopor altus habebat.
Poſtera Phæbea luſtrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimiunerat umbram.

Hypotipoſis *deſcriptionem rei ita exprimit, ut videri potius, quam audiri videatur*. Cic. pro S. Roſcio An. *Etiamne in tam perſpicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda ſit? Nonne vobis hæc, quæ audiſtis, cernere oculis videmini? Non illum miſerum ignarum caſus ſui, redeuntem a cæna videtis? Non poſitas inſidias? Non impetum repentinum? Non verſatur ante oculos vobis in cæde Glaucia? Non adeſt iſte Roſcius? Non ſuis manibus in curru collocat Automedontem illum, qui &c.?*

Eſt alia Hypotipoſis, quæ fit per Dialogiſmum. Per hanc exprimuntur geſtus perſonarum; quæ futura ſunt

ſunt, tamque præſentia exhibet, & tandem in maximis affectibus dominatur, fitque conglobatis affectibus rerumque adjunctis; vel ex comparatione majorum, minorum, & parium.

Hypotypoſis quemadmodum, & reliquæ deſcriptionis ſpecies, ſimilitudine illuſtratur non parum. Cic. 6. lib. in Verr. *Artagathum, & argentum in lectica cubans ad mare infra Oppidum expectabat. Quem concurſum factum in Oppido putatis? Quem clamorem? Quem porro fletum mulierum? Qui viderent, equum Trojanum introductum, urbem captam eſſe dicerent.*

Proſopopæja *eſt perſonæ fictio, qua rebus mutis aut ſenſu* carentibus *ſermonem accomodamus; vel vita functos, tamque ſpirantes, & viventes loquentes inducimus*: hæc tunc dicitur Hydolopæja.

Proſopopæja exemplum ſuggerit Cic. 1. in Cat. cum eo loquentem Rempublicam inducens his verbis. *Quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur. Nullum jam tot annos facinus extitit niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces: tibi vexatio, direptioque ſociorum impunita fuit, ac libera. Tu non ſolum ad negligendas leges, & quæſtiones, verum etiam ad evertendas, perfringendaſque valuiſti.*

Hydolopæja facit idem Cic. pro Cæcin. *Exiſtat igitur ex iſta familia aliquis, ac potiſſimum cæcus ille? Nimium enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit, qui profecto ſi extiterit ſic aget, & ſic loquetur. Mulier quid tibi cum Cœlio? Quid tibi cum homine adoleſcentulo? Quid cum alieno? Cur, aut tam familiaris huic fuiſti, ut aurum commodares? Aut tam inimica ut venenum timeres? Patrem tuum non videras? Non patruum, non atavum audieras Conſules fuiſſe? Non denique modo te Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas, clariſſimi, & fortiſſimi &c.*

Huc ſpectat Pathopæja, quæ adhibetur ad exprimendos, majores motus, ut indignationis, doloris &c. Ethopæja vero utimur ad minores affectus, ut pudoris, benevolentiæ &c. Alterum Proſopopejæ genus eſt Dialo-

Dialogiſmus, qui definitur *ficta perſonarum collocutio*, & in hoc differt a Sermocinatione, quod per illam orator recitat verum ſermonem, vel unius tantum, vel duorum inter ſe, vel unius, qui inter alios quaſi ſequeſter ſit. Cic. pro Plan. *At ego cum caſu diebus illis, itineris faciendi cauſa, decedens e Provincia Puteolos forte veniſſem, concidi pene, judices, cum ex me quidam quæſiſſet, quo die Roma exiſſem, & numquid in ea eſſet novi? cui cum reſpondiſſem, me e Provincia decedere: etiam mehercules, inquit, ut opinor ex Affrica. Huic ego jam ſtomachans faſtidioſe, immo ex Sicilia inquam, tum quidam, quaſi qui omnia ſciret, quid?* Tu neſcis, inquit, hunc Syracuſis quæſtorem fuiſſe? Hæc figura movet, & delectat.

Obſervandum eſt, quod in hujuſmodi collocutionibus conſentanea perſonis vox, & oratio tribui debeat, eſſet etenim maximum vitium, ſi a moribus perſonarum diſcreparet oratio. Quare ridiculum eſſet, orationem probi affingere improbo, ſtultoque ſapientis.

Apoſtrophe *convertit ſermonem, aut ad Deum, aut ad hominem, aut vero ad res inanimes, quas veluti perſonas quaſdam compellat*. Cic. in Cat. *Tu, Tu, Juppiter qui iisdem, quibus hæc Urbs, auſpiciis a Romulo es conſtitutus, quem Statorem hujus Urbis, atque imperii vere nominamus, hunc, & hujus ſocios a tuis aris, ceteriſque templis, ac tectis urbis, ac mænibus, a vita, fortuniſque civium omnium arcebis: & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe, ac nefaria ſocietate conjunctos æternis ſuppliciis vivos, mortuoſque mactabis*. Hæc figura urget, increpat, commendat, cohortatur, commiſeratur, monet, vituperat.

Obſervandum primo in reprehenſionibus, cum ad judices, vel auditores ſermonem habemus, qui gravis ſit auditu, ad alium quempiam orationem eſſe convertendam, ut ipſi in aliena perſona, quid peccent, intelligant, & quid faciendum, ſentiendumque ſit, in aliis ediſcant.

Notandum ſecundo, hanc figuram tantam habere

vim

vim, quantam accipit ab aliis dicendi luminibus, ea vero nihil eſſe ineptius, ſi vel immodice uſurpetur, vel ſine delectu verborum, vel ſine gravitate ſententiarum.

Servandum tertio, quod licet apud oratores non debeat eſſe frequens ad res inanimes Sermo, qui ſæpiſſime poetis permittitur, valet tamen plurimum, tum in orationibus panegiricis, quando appellantur loca, in quibus aliquid inſigne geſtum ſit; tum etiam in aliis, quibus concitandi ſunt animi motus.

Comparatio, vel ſimilitudo *eſt cognata quædam inter res diſſimiles affectio*; cum ſcilicet duæ res inter ſe ob quamdam ſimilitudinem componuntur. Hæc figura, & animum audientis ſuavitate, & orationem dicentis gravitate perfundit, maximeque accommoda eſt ad ſuaves motus, tum ad exornationem, tum ad perſpicuam dicendi methodum. Fit autem tribus modis.

1. Similitudo petitur ex rebus bene paribus, ut ſi conferatur orator cum oratore, Philoſophus cum Philoſophos Sen. Epiſt. 44. *Nec rejicit, nec elegit quamquam Philoſophia. Patritius Socrates non fuit. Cloantes aquam traxit & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit. Quid eſt, quare deſperas, his te poſſe fieri parem?*
2. Deducitur ex re diſpari, cum ſcilicet res alioquin diverſas in aliqua re ſimiles eſſe oſtendimus. Seneca de ira: *Ut furentium certa indicia ſunt audax, & minax vultus, triſtis frons, torva facies &c. ita iraſcentium eadem ſigna ſunt flagrare & micare oculis, vultu & ore toto rubere.*
3. Trahitur ex rebus fictis. Cic. pro leg. Man. *Primum ex ſuo regno ſic Mitridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur, quam prædicant in fuga fratris ſui membra in his locis, qua ſe parens perſequeretur, diſſipaviſſe, ut eorum collectio diſperſa, mærorque patrius celeritatem perſequendi retardaret. Sic Mitridates fugiens maximam vim auri, atque argenti, pulcherrimarumque rerum*

omnium

omnium, quas a majoribus acceperat, & ipſe in ponto reliquit &c. e manibus effugit.

Huc pertinent parabolæ, Apologi, fabulæ, & exempla. Comparationum duæ ſunt ſpecies; aliæ enim ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ.

Simplices unam tantum complectuntur ſimilitudinem. Compoſitæ in duo genera dividuntur. Primum eſt, cum res una pluribus ſimilitudinibus illuſtratur; alterum cum res multæ multis comparationibus exprimuntur. Primum variis modis fieri poteſt.

1. Cum ſingulis membris ſingulæ ſimilitudines referuntur.
2. Cum ſimilitudines in modum definitionis colliguntur.
3. Cum frequentia adjuncta, ſive epitheta congeruntur, quæ ſimilitudinem contineant.
4. Cum ex eadem re, ſimilitudinis membra deducuntur, quod fit per deſcriptionem.

Alterum genus multas res ſingillatim multis comparationibus illuſtrat.

Obſervandum eſt breves ſimilitudines plurimum habere ornamentum, ſi per totum orationis corpus fundantur: longiores aptas eſſe ad docendum, & probandum. Apologos, & fabulas infrequentes eſſe debere, ſed plurimum recreare animum, & audientiam excitare.

De Figuris aptis ad permovendum.

FIguræ, quæ majorem vim habent ad permovendum, ſunt quæ ſequuntur.

Exclamatio, quæ definitur a Cic. *Schema conficiens ſignificationem doloris, indignationis per compellationem hominis, aut rei cujuſpiam quadam expreſſa, aut tacita interjectione:* inventaque eſt ad augendum rei magnitudinem, fitque per elationem ſermonis; Cic. 2. Phi-

Philippica. *O audaciam immanem. Tu ingredi illam domum auſus es? Tu illud Sanctiſſimum limen intrare? &c.*

Sive per ſignificationem iracundiæ. *O peſtis. O labes. O tenebræ. O lutum. O ſordes. O portentum in ultimas terras deportandum.*

Vel miſerationis. Cic. pro Sylla: *O miſerum, & infelicem diem illum, quo conſul omnibus centuriis P. Sylla renunciatus erit! o falſam ſpem! o volucrem fortunam! o cæcam cupiditatem! o præpoſteram gratulationem!*

Vel admirationis. Cic. in Cat. *O tempora, o mores, Senatus hoc intelligit: Conſul videt; hic tamen vivit.*

Vel per ironiam gravitate temperatam. Cic. in Piſ. *O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, o amentem Paulum!*

Suaviſſima eſt hæc figura, cum poſt ſingulas ſententias brevem exclamationem ſubnectimus. Tertull. in Apol.: *Empodocles totum ſe ſe ætnæis incendiis donavit. O vigor mentis! Aliqua Carhaginis conditrix rogo ſe poſt ſecundum matrimonium dedit. O præconium caſtitatis? Regulus me unus pro multis hoſtibus viveret, toto corpore, cruces patitur. O virum fortem, & in captivitate victorem!*

Huic ſimilis eſt ea figura, quæ licet exclamatione non fiat, in brevi interrogatione judicium de re poſita ſubnectit e. g. *Dominus Omnipotens templum eſt cæleſtis illius domicilii;* quid Sanctius? Hæc Civitas non eget Sole neque Luna; nam lucerna ejus eſt agnus. Quid ſplendidius? Utimur exclamatione, cum res maximas perſuaſerimus, & grave aliquod factum propoſuerimu, vel illatum, vel acceptum.

Habet locum in amplificatione, & epilogis, ſed in minimis controverſiis frigida eſt, & puerilis.

Acclamatio, ſive epiphonema *eſt oratio, qua rei narratæ, aut probatæ ſubjicitur gravis quædam dictio ex ſuperioribus rubus expreſſa.* Cic. poſtquam docuit oportere legibus, & judiciis vitam tueri; ſecum vim vi repulſunda ſubdit pro S. Tull. *Hoc ſentire prudentiæ, facere*

re

re fortitudinis, ſentire veri, & jacere perfectæ, cumulatæque virtutis. Et Virg. ubi expoſuit cauſas, quibus Juno futuros Romæ conditores perſequebatur, ita acclamat:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Reticentia *ita ſermonem abrumpit, ut vix appareat, quid dicturus ſit Orator*. Neptunus apud Virg. indignatur ventis, iiſque minitatus inquit, primo Æneidum;

Jam cælum, terramque meo ſine Numine venti
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego; ſed motos præſtat componere fluctus.

Hæc figura fieri ſolet in magnis affectibus, & cum præcidimus orationem; ſive ut demonſtremus, non poſſe præ dolore dicere, quæ dicere cæperamus; ſive ut ſignificemus, nobis diſplicere dixiſſe ea, quæ diximus; ſive ut relictis minoris ponderis rebus majoribus inſiſtemus.

Deprecatio, vel obſecratio *eſt Dei, vel hominis alicujus in auxilium imploratio*. Cic. pro Mil. *Quid reſtat niſi ut orem, obteſterque vos, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat? Ego etiam, repugnante hoc, & imploro, & expoſco. Nolite, ſi in noſtro omnium fletu nullam lacrymam adſpexiſtis Milonis: ſi vultum ſemper eumdem: ſi vocem: ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere*. Et Dido apud Virg. 4. Æneidum

.... Per ego has lacrymas, dextramque tuam te
(Quando aliud mihi jam miſeræ nihil ipſa reliqui)
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos:
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miſerere domus labentis, & iſtam
Oro (ſi quis adhuc precibus locus) exue mentem.

Hæc figura timorem incutit, remittit audaciam, hortatur, & monet, valetque ad omnem motum, modo ad gaudium, modo ad benevolentiam, modo ad odium, modo ad fiduciam, imo ad omne genus virtutis, ſed magnopere intereſt, ut ornata tractetur, quare fie-

ri poteſt, vel per repetitionem, vel per ſubſtentationem, vel per angariem conglobatis diverſis rationibus, quibus, quod petimus, impetrare poſſimus.

Optatio eſt vehementis alicujus deſiderii ſignificatio, qua quod nobis, aut aliis proſit, optamus. Cic. pro Murena: *Dii ſaxint, ut meus collega vir fortiſſimus hoc neſarium Catilinæ latrocinium armatus opprimat.*

Hæc figura convenit dolenti, timenti, & ſperanti, cujuſque ſplendor elucet, cum in argumentando per optationem efferimus, quod poterat efferri indicando.

Ex optatione naſcitur ſalutatio, quæ verbis benevolentiam teſtatur.

Comminatio eſt *admonitio cum prædictione mali futuri.* Cic. pro Mur. *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundavit? Illa peſtis immanis, & importuna Catilinæ prorumpet, qua poterit, etiam P. R. minatur; in agros ſuburbanos repente advolabit: verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas, omni autem in Sede, ac loco ferrum, flammamque metuemus.*

Hæc figura valet ad majorem motum, fitque per deſcriptionem, quæ rerum conſequentium dilucidam contineat expoſitionem; huc pertinent ea omnia, quæ terrorem incutere poſſunt, & animos nimium ſui ſecuros ad honoris, & vitæ defenſionem incitare.

Imprecatio eſt *execratio quædam, qua malum aliquibus, vel nobis ipſis imprecamur*: Cic. Philippica 13. *Quin tu abis in malam rem, malumque cruciatum.* Cic. pro Deiot. *Dii te perdant fugitive.* Et Dido apud Virg. his verſibus.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel pater Omnipotens adigat me fulmine ad umbras
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam:
Ante pudor, quam te violem, aut tua jura reſolvam.

Oratori Chriſtiano ſatius erit, ſanam mentem expoſcere, aut id genus aliud quam diras in cujuſquam caput

put conijcere; niſi forte deſperata fuerit ejus ſalus, aut ſceleratus jam Inferis addictus.

Admonitio *placide quempiam, & benevole commonet*, Cic. pro leg. Man. *Sed pro veſtri imperii dignitate, atque gloria, quoniam is eſt exorſus orationis meæ, videte, quem vobis animum ſuſcipiendum putatis. Videte, ne ut majoribus pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere; ſic vobis turpiſſimum ſit illud, quod accepiſtis, tueri, & conſervare non poſſe.*

Licentia eſt *orationis libertas, atque fiducia liberius affectum mentis exprimens*, cum ſcilicet orator, quæ gravia dictu ſunt, aut periculoſa præfidenti animo, ac magna libertate dicturum ſe profitetur. Cic. pro Sylla: *Fero ego te Torquate jam dudum fero, & nonnunquam animum incitatum ad ulciſcendam orationem tuam, revoco ipſe, & reflecto; promitto aliquid iracundiæ tuæ, do adoleſcentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti, ſed niſi tibi aliquem modum vitæ conſtitueris, cogas oblitum me noſtræ amicitiæ, habere rationem meæ dignitatis.* Et Philippica 10. *Vos patres conſcripti (grave dictu eſt, ſed dicendum tamen) vos inquam Servium Sulpitium vita privaſtis.*

Hæc figura minatur, fiduciam oſtendit, inſultat, objurgat, monet, adulatur.

Dubitatio *præſefert ſolliciti hominis, & in conſilii perturbatione* hæſitantem affectum. Duplex eſt, altera rerum, altera verborum.

Verborum eſt apud Cic. pro Quinctio: *Quo te nomine appellemus? improbum: at etiam ſi deſertum Vadimonium eſſet; tamen in iſta poſtulatione, & proſcriptione bonorum, improbiſſimus reperiebare. Num malitioſum? Negas. Fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. Audacem? Cupidum? Perfidioſum? Vulgaria, & obſoleta ſunt; res autem nova, & inaudita*: &c.

Rerum eſt apud eumdem pro S. R. Am. *Quid primum quæram? aut unde potiſſimum exordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium?*

Populine Romani? Veſtramne, qui ſummam poteſtatem habetis hoc tempore, fidem implorem?

Dubitationi interdum ſubjungitur electio, atque expeditio. Dido apud Virgilium 4. Æneidum:

En quid agam? rurſus ne procos irriſa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex?
Quos ego ſum toties jam deſignata maritos?

Et poſtquam per varia ambiguo ſermone decurrit, eligit tandem, quod ſequitur hoc carmine.

Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.

Hæc figura laudat, timet, queritur, hortatur, & magnam vim habet ad res exagerandas, parandamque attentionem auditoris.

Interrogatio *rem dubiam non quærit, ſed in laudationibus, vituperationibus, votis, deſideriis, aliiſque ejuſmodi motibus exprimendis adhibetur*. Cic. pro Leg. Man. *Quid tam novum, quam adoleſcentulum privatum, exercitum difficili reipublicæ tempore conficere? confecit. Huic præeſſe? præfuit. Rempublicam optime ductu ſuo gerere?* geſſit.

Hac figura adverſario per correctionem reſpondemus quod male ipſe ſubijciat, noſque melius. Eadem adverſarium vexamus concita oratione, cum ita graviter ad reſponſum urgentes, ut vix ad reſpirandum tempus concedamus. Præterea habet locum in occupationibus, dubitationibus, ſubmiſſionibus, deriſionibus, ſubjectionibus, ſponſionibus, monitionibus, admirationibus; cujuſque proprium eſt orationem amplificare, & variare, vigorem, & acrimoniam gignere, dummodo tempeſtive fiat. Hæc ſunt, quæ pertinent ad elocutionem, quam fecimus primam Rhetoricæ partem; Tranſeamus modo ad ſecundam, quam diximus inventionem.

De

De materia, & objecto Rhetoricæ.

ANtequam agamus de materia hujus artis ſciendum eſt, triplicem eſſe materiam, ex qua, in qua, circa quam. Materia ex qua, eſt illa, ex qua aliquid conſtat, ut *ex ligno Navis*. Materia in qua eſt ſubjectum, in quo aliquid recipitur, ut in *pariete albedo*. Materia circa quam eſt illa, circa quam verſatur ars, ut *navis ipſa conſtruenda*, circa quam verſatur ars lignaria.

Hic omiſſa materia in qua, & ex qua, loquimur de materia circa quam, quæ in arte Rhetorica per nos conſtituitur. Quæſtio quæcumque, de qua in utramque partem probabiliter diſceptari poteſt, quia Rhetorica verſatur circa quaſcumque res, quæ in ſermonem cadere poſſunt; unde patet, quid ſit objectum adæquatum hujus artis, nempe ea omnia, de quibus haberi poteſt diſputatio; & dicitur etiam quæſtio; quia objectum in aliqua arte ea omnia ſunt, quæ tractantur in arte. Illud etiam dicitur objectum attributionis; quia ad illud referuntur ea omnia, quæ tractantur in arte; & cum ea, quæ tractantur in arte bene dicendi, referantur ad quæſtionem, patet quæſtionem eſſe objectum adæquatum hujus artis.

His præmiſſis quæſtio definitur *dubia propoſitio inquirendæ rei*.

Duplex eſt finita, & infinita.

Finita dicitur Hipotheſis, infinita theſis. Quæſtio fit finita per aliquam circumſtantiam, puta, loci, temporis, perſonæ &c. ut: *An cum hoſte ineunda ſit pax in Italia*. Sin autem quæſtionem ſpoliaveris circumſtantiis, evadet infinita, ut *an cum hoſte ineunda ſit pax*.

Notandum hoc loco, quod omnis Hipotheſis revocanda eſt ad theſim, ut poſſit probare. Minor enim

propoſitio, quæ eſt hipotheſis, accipit vim probandi a majori propoſitione, quæ eſt theſis; *quod* enim *proditor Catilinæ ſit interficiendus*; *inde probari poteſt*, *quod omnis proditor ſit interficiendus*. Ad probandum autem, excogitanda ſunt argumenta, quæ fidem faciant, & gignant in auditoribus opinionem earum rerum, de quibus agitur. Pro hac excogitatione antiqui Rhetóres quoſdam invenere locos, quos thopicos nominarunt, de quibus ut mox agatur, inquirendum eſt.

Quid ſit locus.

LOci, quos Ariſtoteles argumentorum ſedes, & Tullius theſauros vocat, *ſunt quædam inſcriptiones, ac notæ, quarum admonitu, quid in unaquaque re probabile ſit, inveniri poteſt*; & per Boetium: *Locus eſt id, unde ad propoſitam quæſtionem conveniens trahitur argumentum*.

De locorum diviſione.

UT argumentorum genera duo ſunt, inſita ſcilicet, & remota, ita locorum duo eſſe genera convenit. Inſita ſcilicet, & remota, de quibus, ut cum diſtinctione diſſeramus, primum ſit.

De Locis inſitis.

LOca inſita ſexdecim enumerantur. Definitio, partium enumeratio, ethimologia, conjugatum, genus, forma, ſimilitudo, differentia, contrarium, repugnantia, adjuncta, antecedentia, conſequentia, cauſæ, effectus, comparatio.

Monet Tullius, adhibenda eſſe ab oratore ea loca, quæ ſibi prodeſſe, & adverſariis obeſſe poſſunt, quibus ſi quæ favent, omittenda.

Præterea non omnibus in qualibet oratione uti debet

bet orator, ſed ea tantum poteſt aſſumere, quæ vim habent probandi, & illuſtrandi.

De Definitione.

Definitio eſt oratio, quæ id, quod definitur, explicat quid ſit.

Hæc debet eſſe dilucida, brevis, & propria.

Conſtat duabus partibus, quodam ſcilicet notiori vocabulo, quod primum nobis occurrit, & facit rem definitam communem cum aliis, quod dicitur genus; & altero vocabulo, per quod res definienda ab aliis differt, quod dicitur differentia. Sit e. g. definiendus homo: primum mihi occurrit animal, & hoc eſt genus; deinde rationale, & hoc eſt differentia; nam per illud convenit cum aliis animantibus; per hoc vero ab aliis differt; unde colligitur hominem definitum eſſe animal rationale.

Conditiones bonæ definitionis quatuor aſſignantur.

1. *Ut definitio ſit clarior ſuo definito*; unde male definitur homo, animal humanum; qui enim neſcit hominem, neſcit & animal humanum.
2. *Ut debeat converti cum ſuo definito, & poſſit prædicari de eo totum id de quo poteſt prædicari res definita*, ut ſi de arte bene dicendi dicitur, quod ſit utilis, etiam debet poſſe dici de Rhetorica, quod ſit utilis.
3. *Ut non ſit diminuta, neque manca*; unde male definiret hominem, qui diceret, homo eſt rationalis, quia hæc definitio deficit genere.
4. *Ut nihil contineat, quod ſit ſuperfluum*; quod ſcilicet non inſerviat ad oſtendendam rei definitæ convenientiam cum aliis, vel ab aliis diſcrepantiam; unde Plato male definiebat hominem, eum appellando animal mortale, implume, bipes; quapropter Diogenes deplumavit pullum Gallinaceum, & projecit Platonis in ſchola, dicens; *en homo Platonis*.

Notandum, quod Oratores in definitionibus non proſequuntur brevitates logicas, ſecundum quas nihil in iis redundet, oportet; ſed quadam amplificatoria methodo eas fuſiori ſtylo pertractant, ex rebus iis, quæ rem ipſam circumſtant.

Unde ſumantur oratoriæ definitiones.

ORatoriæ definitiones, aliæ ſunt eſſentiales, aliæ accidentales. Eſſentiales dicuntur perfectæ, quia explicant rem per ea, quæ ſunt rei intrinſeca, & neceſſaria; accidentales imperfectæ appellantur, quæ licet non ſemper conſtent genere, & differentia, ſatis erit ſi conſtent aliqua re, quæ ſuppleat locum generis, & differentiæ.

Primæ deſumuntur a genere, & differentia, & de hoc dictum eſt ſupra.

Secundæ a cauſis, a materiali, ut *homo eſt lutum ſanguine compactum*; a finali, ut *homo eſt animal natum ad immortalitatem*; ab efficienti, ut *Aquila eſt cauſa ſerenitatis*; a formali, ut *homo eſt imago Dei*. Cavendum tamen eſt ne a finali ſæpius definiamus; quia hæc cauſa vulgum latet, facitque orationem obſcuram.

Ab effectibus, ut *ebrietas eſt fomentum libidinis, incentivum inſaniæ, venenum ſapientiæ*.

A partibus, ut *annus eſt ſpatium duodecim menſium*; & hæc definitio accidit auditori jucunda, & non ingrata oratori, cum ſingulæ partes diſtinguuntur.

A genere, & accidentibus, vel propriis, vel communibus, ut *homo eſt animal providum, ſagax, memor, bipes &c.*

A ſimilitudine, ut *ſenectus eſt hyems ætatis, adoleſcentia eſt ver*.

Nota, quod breves definitiones, ſi multæ ſimul congerantur, dicuntur conglobatæ definitiones, quæ inſerviunt

viunt potius ad dilatandum, & illuſtrandum, quam ad fidem faciendam.

Modus amplificandi definitiones.

1. DEfinitiones amplificantur per Synonimiam, præſertim quando nobis videmur non ſatis expreſſiſſe rei magnitudinem e. g. *homo ruis in peccatum, neque animadvertis illud eſſe animæ tuæ lethalem enſem, mucronem, telum &c.*
2. Per congeriem vocabulorum quæ exprimat rei definitæ actiones e. g. *Virgo Deipara eſt porta Cœli, Paradiſi janua, ſtella maris, ſolatium mundi, naufraganti portus, auxilium periclitanti.*
3. Per ſimilitudinem, ut bona conſcientia *eſt Templum Salomonis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, theſaurus regis, aula Divini Numinis, liber ſignatus, & clauſus in die judicii aperiendus.*
4. Per contentionem ironicam, in qua primum orator rem definit ironice, ſecundum mentem adverſarii: deinde jocoſe per exclamationem talem definitionem vituperat, deinde veram infert. Ita Cic. *Ego Conſulem eſſe putem, qui Senatum in Republica eſſe non putavit? & ſine eo conſilio conſulem numerem, ſine quo Romæ, ne reges quidem, eſſe potuerunt.*

Definitionis aſſertiones.

ARgumenta definitionis, ut vera inferant, nituntur præcipue his concluſionibus.

Quod definitioni convenit, convenit & definito; ut ſi ars bene dicendi eſt laudabilis, erit & laudabilis Rhetorica.

Quod non convenit definitioni, non convenit & defini-

finito, ut ſi animal rationale non eſt hinnibile, neque homo erit hinnibilis.

A quo removetur definitio, removetur & definitum; ut ſi homo non eſt animal hinnibile, non erit pariter equus.

Prima adhibetur ad confirmationem, ſecunda & tertia valet ad confutationem.

De partium enumeratione.

PArtium enumeratio, *eſt rei, ſeu totius in ſingulas partes apta quædam diſtributio*. Partes aut ſunt generis, ut ſunt virtutis partes, quæ ſunt juſtitia, temperantia, fortitudo, prudentia; aut totius, ut partes totius domus ſunt, muri, ſolaria, tectum. Partes totius, aut ſunt eſſentiales, aut integrales. Eſſentiales ſunt, quæ rem neceſſario conſtituunt; ut corpus, & anima rationalis, ſunt partes hominis eſſentiales, quia neceſſario conſtituunt hominem, cum non poſſit eſſe homo, qui aut corpore careat, aut anima rationali. Integrales ſunt, ſine quibus adhuc compoſitum conſiſtit, ut pes, manus, oculus, ſunt partes hominis integrales; nam monoculus, unimanus, unipes, adhuc homo eſt.

Ex hoc loco erumpit orationis copia, ſplendor, claritas, & dignitas.

Triplex eſt uſus iſtius loci, economicus, contentioſus, amplificatorius.

Economicus poſt exordium dividit ea, quæ in oratione tractanda ſunt. Cic. pro leg. Man. *Primum mihi videtur de genere belli: deinde de magnitudine: tum de Imperatore deligendo eſſe dicendum*. Præterea digerit materiam in unoquoque genere: in deliberativo honeſtum, utile, jucundum, facile: in demonſtrativo certas virtutes, ætates, bona: in judiciali præmittit cauſæ diviſionem, pro ut res poſtulabit.

Contentioſus non ſolum porrigit clypeum, quo orator ſe protegat; ſed etiam tela, quibus adverſarium ſe-

feriat; facit enim fidem, proponendo totum, ejuſque partes, ſive neget, ſive probet.

Amplificatorius ubique floreſcit, in deſcribendo, in narrando, proponendo, ſubjiciendo, diſcutiendo; quod poteſt fieri per effecta, adjuncta, per cauſas, adhibitis etiam figuris interrogationis, ſubjectionis, præteritionis, aliiſque elocutionis coloribus.

Hujus loci axiomata.

1. Affirmatis omnibus partibus, totum affirmatur, ut Socrates eſt juſtus, fortis, prudens, temperatus; ergo omnibus præditus virtutibus.
2. Negatis omnibus partibus negatur totum, ut ultio non eſt juſtitia, non fortitudo, non prudentia, non temperantia; ergo non eſt virtus.
3. Remotis partibus una relinquitur, quæ affirmetur, aut negetur, ut pecuniam, aut ante habebas, aut ab aliquo accepiſti, aut inveniſti, aut ſubripuiſti: Ante non habebas, ab alio non accepiſti, non inveniſti; ergo ſubripuiſti.

Conditiones bonæ argumentationis.

1. Numeratio debet colligere omnes partes; ſi etenim una relinquitur, fit ridiculum argumentum.
2. Affirmative a toto ad partes eſſentiales valet argumentum, ut navis eſt; ergo habet puppin, & proram; non autem ad integrales; neque enim valet dicere: eſt homo; ergo habet pedes.
3. Negative a toto ad ſingulas partes, non procedit argumentum; ut non eſt Navis; ergo non eſt puppis; nam poteſt eſſe puppis ſine ceteris partibus; valet

valet tamen a genere, ad ſingulas ſpecies; ut non eſt animal; ergo non eſt homo.

De Ethymologia.

Ethymologia alio nomine dicitur notatio, & ab Ariſtotele ſymbolum, ac ſi verba ſint rerum notæ, ac ſymbola. *Hæc eſt oratio, quæ & nominum vim, & naturam exprimit.*

Utimur hoc loco ad comparandam alicui ex nomine laudem, ſive dedecus, tum etiam ad facetias, urbanitatem, & acumen.

Ad laudem maxime præſtat hic locus, & præcipue apud Poetas, qui eum cum dignitate, & copia tractant. Martialis commendat ex nomine puerum Eraſnum, cujus nomen vernum ſonat:

Nomen cum violis, roſiſque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni;
Hyblam quod ſapit, Atticoſque flores:
Quod nidos olet alitis ſuperbæ:
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat ſonantis:
Quod ſi Parrhaſia ſones in aula,
Reſpondent Veneres, Cupidineſque.
Nomen nobile, molle, delicatum
Verſu dicere non rudi volebam.

Oratores, ne frigeat ſermo, ſi quem ex nomine commendare velint, non ex nudo nomine, ſed ſplendido verborum circuitu per cauſas etiam, effectus, adjuncta commendabunt.

Valet ad vituperationem, cum aut nomen eſt ſordidum, aut ſpecioſum. Si ſpecioſum, dices male nominari ſordidum virum, nomine glorioſo; ſi ſordidum, ex ejus notatione ea inferes, quæ ad vituperandum idonea ſint.

Ludit hic locus ad facetias, & acumen pluribus modis.

1. Æqui-

1. Æquivocatione, ut Auguſtus Cæſar, cum audiſſet filium araviſſe ſepulchrum Patris; Patrem, inquit, colit; hac æquivocatione, quod colere, & amare, & honorare ſignificet. Eſt pariter in carminibus illud de Nerone:

Quis neget Æneadum magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille Patrem:

2. Remotione, ut de Fierrandro:

Ex ferro nomen tibi ſit licet, aurea condis
Sæcula; nam ſub te Principe nemo timet.

3. Contrariis, ut de Beata Barbara:

Barbara ſum: non ſum; miti ſum pectore Virgo;
Sed qui me genuit, barbarus ille fuit.

Ex hoc loco erumpunt etiam anagrammata, ſatis laborioſum ingenii opus; quæ earumdem litterarum collocatione immutata, ex uno verbo, vel ſententia aliud verbum, vel ſententiam gignunt; de quibus alibi dictum eſt.

Obſervandum eſt, quod nominum notatio ſatis infirma eſt ad probandum; qua propter cavendum eſt, ne ſæpius ex hoc loco deſumantur argumenta.

De Conjugatis.

Conjugata ſunt, quæ orta ab uno varie permutantur, ut Sapiens, Sapientia, Sapienter. Ab Ariſtotele dividuntur in duo genera, in conjugata nimirum proprie, & a caſu.

Conjugata proprie, verbis conſtant, & nominibus. Mart. lib. 2.

Hoſtem cum fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.
Hic rogo, non furor eſt ne moriare, mori.

Moriare, & mori ſunt conjugata proprie quæ conſtant verbis; hæc autem quæ ſequuntur, conſtant nominibus; hæc ſunt apud Cic. in Piſon: *Cum eſſet omnis illa cauſa Conſularis, & Senatoria, auxilio mihi opus fuerat, & Conſulis, & Senatus.*

Conjugata a caſu conſtant nomine, & adverbio: ut

ut honeſtus, honeſte occumbit; juſtus juſte vivit. Locus hic non habet multum roboris ad probandum; Suavitatem tamen orationis conciliat, ut ait Ovidius:

- - - - - - - *Ut ameris amabilis eſto.*

Et Propertius:

Libertas quoniam nulla jam reſtat amanti
Liber nullus erit, ſi quis amare velit.

Tractatur etiam per Hiperbolem, ut Martialis in Zoilum:

Non vitioſus homo es, Zoile, ſed vitium.

Valet ad amplificationem, & præcipue, ſi per conglobationem tractetur. Cic. pro Flacco: *Et is eſt reus avaritiæ, qui in maledicentiſſima Civitate maledictum omne, in ſupicioſiſſimo negotio ſuſpicionem omnium, non modo crimen effugit.*

Valet etiam ad injiciendas orationis tenebras, quod tamen Poetas potius, quam Oratores decet, utpote quod in oratione obſcuritas non leve eſt vitium.

Hujus loci axiomata quatuor ſunt.

1. Quod convenit uni conjugatorum, & ceteris convenit; Si Poeſis laudanda eſt, Poetæ quoque laudandi.
2. Quod non convenit uni conjugatorum, nec aliis convenit. Poeſis a rep. non eſt excludenda: ergo nec excludendi poetæ.
3. Cui convenit unum, cetera quoque conveniunt; Si Chriſtiani ſumus, Chriſtiane vivamus.
4. A quo removetur unum, cetera removentur; Nihil unquam fecit Ariſtides injuſtum; ergo injuſtus non fuit.

Tria

Tria cavenda ſunt in hunc locum.

1. NE propter vocis conjunctionem conjugata dicamus omnia, neque enim valet; neceſſe eſt dare aliquid ſomno, proinde ſomniculoſum eſſe neceſſe eſt; hic namque variatur ſignificatio; nam ſomniculoſus pro inerti, & ignavo accipitur, non pro dormienti. Quare advertendum eſt, ut conjugata accipiantur ex nominis inflexione, & ut eamdem reddant ſignificationem.
2. Ut ambiguitas evitetur, cujus defectu fallit argumentum hoc: cum homines ſimus, humana tantum curare debemus; nam vox humana, quæ habetur ſecundo loco, non uſurpatur pro iis, quæ ad hominem pertinent; ſed pro caducis, & inanimis rebus.
3. Ut attributa conjugatorum recte aſſignentur, neque enim valet, album eſt dulce; igitur albedo eſt dulcedo; nam alius eſt ſenſus in antecedente; alius in conſequente.

De Genere.

GEnus juxta ſententiam Tullii *eſt notio ad plures differentias*. Talis eſt virtus, quæ ideo dicitur genus, quia ducit in cognitionem prudentiæ, juſtitiæ, temperantiæ, & fortitudinis, ſeu genus *eſt quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes plures complectitur partes*. Multiplex eſt uſus iſtius loci.

Adhibetur in exordiis cum in primo aditu præponitur quoddam univerſale, cujus notio pertinet ad multa, deinde deſcendit ad particulare, quod genus principii inſigne eſt. Cic. pro Domo ſua cum eſſet dicturus præclarum eſſe inſtitutum P.R. quod idque & ſacrorum curam, & Reipublicæ gererent a genere exorſus

orſus eſt omnia majorum P. R. inſtituta commendans. Proponit etiam Cic. in exordiis primo genus, idemque confirmat pluribus adductis partibus, ut habetur in Verrem ubi ait: *Cum omnium ſociorum, ac Provinciarum diligenter rationem habere debeatis;* tum præcipue Siciliæ plurimis, juſtiſſimiſque de cauſis. Interdum pro nomine particulari ponimus aliud latius, & hoc fit, ne ſemper in eadem verba incidat oratio. Cic. pro Quinctio: *Magnitudo periculi ſummo metu hominem affecit*, ubi Cic. pro homine Quinctium intelligit, ne cum faſtidio audientium, ſæpius Quinctium repetat.

Valet ad excuſandum alicujus hominis vitium reducendo hyphoteſim ad theſim, ut præſtat Cic. pro Cocinna, qui ut excuſet ejus adoleſcentiam non ſatis honeſtam, adoleſcentum mores excuſat.

Utilis eſt ad aliquem inſectandum; cum nempe ut illum redarguamus, redarguimus vitia, quibus ille implicatur, ut operatus eſt Cic. qui ut Catonem illuderet, non vitia Catonis, ſed Stoicorum illuſit mores; propterea quod eorum Sectæ addictus erat Cato.

Hujus loci axiomata.

1. QUod convenit generi, convenit & ſingulis ejus formis: Si laudem meretur virtus, laudem meretur & juſtitia.
2. Quod non convenit generi, nec ſingulis ejus formis convenit: Si nulla virtus in exceſſu poſita eſt, neque fortitudo.
3. Cui convenit genus & ſingulæ ejus partes conveniunt. Si ſapienti neceſſariæ ſunt cunctæ virtutes, neceſſaria eſt etiam prudentia.
4. Cui non convenit genus, nec ſingulæ ejus partes conveniunt: Si ſapiens nullo vitio laborare debet, nec debet avaritia.
5. Remoto genere cum aliquo particulari ſigno, formam

mam ejus aliquam removeri neceſſe eſt, non omnes. *Aliqua virtus non habet locum in voluntate*; *ergo vel prudentia*, *vel juſtitia non habent locum in voluntate*. Hóc loco ſunt.

1. Advertenda; affirmative a ſpecie ad genus, valet argumentum: *Eſt prudentia*, *ergo eſt virtus*.
2. Affirmative a genere ad ſpeciem non valet. *Eſt virtus*; *ergo eſt prudentia*.
3. Negative a ſpecie ad genus non valet: *Non eſt prudentia*; *ergo non eſt virtus*.

Cavendum eſt, quod argumentando a genere ad ſpeciem, nullam formam prætermittamus; ſecus erit irritum argumentum.

Præterea neceſſe eſt, ut propoſitio, ſive affirmativa, ſive negativa, quæ genus contineat, afficiatur ſigno univerſali: *nullus*, *omnis*.

De Forma, ſeu ſpecie.

SPecies definitur a Cic. *Notio*, *cujus differentia ad caput generis*, *quaſi ad fontem referri poteſt*. Species ergo eſt pars ſubjecta generi natura minus ampla; & dicitur de pluribus differentibus numero, ut *homo de Petro*, *de Joanne &c.*

Hic locus tractatur, vel per affirmationem, vel per negationem, vel per inductionem.

Per affirmationem excurrendum erit perſingulas ſpecies, ſemper affirmando, ut ſi de aliquo affirmare velis, eum eſſe hominem improbum, & ſceleratum, ſingulas vitiorum ſpecies de eo affirmabis. Advertendum tamen eſt, hæc argumenta non nude tractanda eſſe, ſed maximo verborum apparatu; ſecus vileſcet oratio.

Per negationem, formæ quæcumque attingendæ ſunt, eas negando in contrariam partem, ut ſi de aliquo velis aſſeverare eum eſſe inſigni hominem virtute, negabis de eo ſingulas vitiorum ſpecies.

Per inductionem, cum ſcilicet ex multis formis ge-

nus, aut ex multis ſingularibus aliquid univerſale concludimus e. g. *Morimur omnes, etiam nobiles, etiam Principes, etiam Reges: Leones catulis*: elephantes formicis: Aquilæ culicibus aggregantur.

Huc refertur illud exordiorum genus, in quo una, ſeu plures proponuntur formæ, quibus deinde genus adjungitur. Si quis e.g. laudaturus eſſet virtutem, orationem ordiretur commendatione ſingularum virtutum; deinde ſubjiceret virtutem in genere. Hujuſmodi eſt exordium illud Cic. pro Quinctio, in quo cum dicere poſſet multa nocere ei cauſæ, a ſpecie exorditus eſt orationem ſuam hoc pacto: *Quæ res in Civitate duæ plurimum poſſunt; hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia.*

Hujus loci axiomata.

1. DE quo dicitur aliqua ſpecies, dicitur & genus. *In ſubeundo martyrio ſumma eſt fortitudo, ergo eſt virtus. In ſingulari certamine committendo nulla eſt prudentia, nulla fortitudo; ergo nulla eſt virtus.*
2. Quidquid dicitur, aut negatur de omni ſpecie, dicitur, & negatur de genere: *Nec prudentia, nec juſtitia, nec temperantia, nec fortitudo ducunt ad malum; ergo nulla virtus ducit ad malum.*
3. Quod dicitur de aliqua tantum ſpecie, dicitur etiam, ex parte de genere; non tamen ex toto, ut univerſe concludi poſſit; Si convenit juſtitiæ, ut ſit laudabilis; laudabilis erit & aliqua virtus.

De Similitudine.

SImilitudo definitur a Tullio: *oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile.* Differt a comparatione, quod in comparatione attenditur quantitas, in ſimilitudine qualitas; propterea quod cum aliquid comparamus, illud facimus, ſeu majus, ſeu minus,

minus, ſeu par, cum autem ſimile facimus per ſimilitudinem elucidamus, quale illud ſit, quod ſimile facimus, nulla facta mentione minoris paris, ſeu majoris.

Similitudo dividitur in parabolam, inductionem, & exemplum.

Parabola *eſt rerum alioquin diverſarum in una, vel pluribus partibus convenientia*; & continetur, aut dicto, aut facto aut hiſtoria aliqua, ſeu antiqua, ſeu recenti pro rei natura, aut graviter, aut jucunde narrata; cui ſi reddatur Apodoſis, illuſtrior fiet oratio. Hujuſmodi eſt illud Cic. pro S. Roſc. *Anſeribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut ſignificent, ſi fures venerint, aut fures internoſcere non poſſunt; ſignificant tamen, ſi qui noctu in Capitolium venerint, & quia id eſt ſuſpicioſum, tametſi beſtiæ ſunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ eſt cautior. Quod ſi luce quoque canes latrent, cum deos ſalutatum aliqui venerint: opinor, iis crura ſuffringantur, quod acres ſint etiam, tum cum ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt accuſatorum ratio. Alii veſtrum anſeres ſunt, qui tantummodo clamant, nocere non poſſunt: alii canes, qui & latrare, & mordere poſſunt. Cibaria vobis præberi videmus; vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur, hoc populo gratiſſimum eſt*; deinde ſi nolitis, *etiam tum, cum veriſimile erit aliquem commiſiſſe, in ſuſpicione latratote*; *id quod concedi poteſt*.

Parabola emblematum materiam ſuppeditat, cum ſcilicet proprietate in aliqua expreſſa obſcurum ſenſum abſtruimus, eumque ad ſenſum noſtræ mentis reducimus. Connaturale eſt e. g. Cervæ pariturae, alias belluas effugere, & ad interiora ſylvæ evolare. Cupis emblemate exprimere te ſequendæ virtutis anxium eſſe, ob quam rem improborum te conſilia effugere? Pinge cervam prædictam, quæ monſtret, ſe loci penetrale ingredi, profugam ab aliis belluis, ſuper appone hoc lemma: *a Semitis impiorum elongor*.

Inductio *eſt coacervatio quædam rerum multarum, & ſimilium ad aliquid concludendum* e. g. *Qui naves aliorum merſerint, iis nemo tuam commiſerit. Qui alienos equos negligenter curaverint, iis ſuos nemo tradiderit. Qui parum diligenter terram ſuam excoluerit, nemo illi alienam crediderit. Ita qui ſuam ipſorum ſalutem, aut aliorum nihil fecerit, iis temere tuam committes?*

Exemplum definitur *facti alicujus vel dicti cum certi auctoris nomine expoſitio*. Hoc habet locum in ſimilitudine, valetque plurimum ad perſuadendum, ſi plura, quæ ad rem faciunt, colligantur. Hujuſmodi eſt illud Cic. pro Plan. quo probat non verti dedecori, quod Plancius repulſam Ædilitatis paſſus ſit hoc pacto: *Cave ne iſta tua querela, dolorque nimius, ab iſtis ſapientiſſimis viris reprehendatur. Vidit enim Pater tuus Appium Claudium nobiliſſimum hominem, vivo patre ſuo potentiſſimo, & clariſſimo cive, C. Claudio Ædilem non eſſe factum, & eumdem ſine repulſa factum eſſe Conſulem: Vidit hominem ſibi maxime conjunctum, egregium virum Volcatium: vidit M. Piſonem in iſta Ædilitate, offenſiuncula accepta, ſummos a P. R. eſſe honores adeptos.*

Exemplum tractatur, ſeu per comparationem, ſeu per fictionem.

Per comparationem cum alterum cum altero componimus. Sic Cic. pro S. Roſcio componit Syllam cum Jove, monſtratque, ut quemadmodum non Jovis conſilio, ſed ipſa rerum vi plurimæ in terris fiunt noxiæ tempeſtates, & quod ipſe rebus maximis incumbendo, non animadvertat leviora; ita mirum non eſſe, ſi ex Sylla, cui ſoli inhæret orbis imperium, aliqua interdum non noverit.

Per fictionem nobis ipſi fingimus aliquam ſimilitudinem eamque proponimus adhibita particula, ſic. Cic. pro S. Roſc. *Etenim quæro, ſiquis Pater familias, liberis ſuis a ſervo interfectis, uxore occiſa, incenſa domo, ſupplicium de ſervo quam acerbiſſimum ſumpſerit: utrum is clemens, ac miſericors, an inhumaniſſimus, &* cru-

crudeliſſimus eſſe videatur? Mihi vero importunus, ac ferreus, qui non dolorem ſuum, & cruciatum, dolore nocentis, & cruciatu lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui cunjuges, qui liberos noſtros trucidare voluerunt: qui ſingulas uniuſcujuſque noſtrum domos, & hoc univerſum Reipublicæ domicilium delere conati ſunt: ſi vehementiſſimi fuerimus, miſericordes habebimur?

Similitudo idonea eſt ad probandum, ornandum, & illuſtrandum, cujus rei exempla paſſim apud auctores occurrunt.

Similitudo connectitur ut plurimum his particulis, tamquam, ſicuti, ut, ſeu, quemadmodum, haud ſecus, ſimilis, inſtar, qualis &c.

Adverte quod non ſemper neceſſe eſt illas adhibere, ſed interdum etiam ſine illis effertur ſimilitudo. Nota præterea duabus partibus conſtare ſimilitudinem, ex poſitione ſcilicet rei ſimilis, & apodoſi; ſi quis autem agnoſcere velit, quot modis ſimilitudo tractetur, recurrat, quæ de ſimilitudine dicta ſunt, cum de figuris diximus; quibus hoc adjungo, efferri etiam per negationem hoc modo: *Nec ager ſine cultura fructus effundit, nec anima ſine virtutis exercitatione fructus parere poteſt.*

Ad inveniendas ſimilitudines hanc vobis methodum præpono. Ponite ob oculos vobis rem per ſimilitudinem, aut probandam, aut ornandam, aut illuſtrandam; deinde excurrite animo per rerum naturam univerſam, ſi quid in eam vobis occurrit, quod rei propoſitæ ſimilis ſit; aſſumite, & per ſimilitudinem efferte. Eſt vobis E. G. probandum, nihil imminui principis alicujus potentiam ex defectione unius legionis: quærite in mundo ſi quæ ſunt, quæ rei alicujus defectu minime imminuantur: ſtatim occurret vobis Oceanus, qui nunquam ſuis aquis imminuatur, ſive ei fluvii deficiant, ſive adjungantur.

Hunc vobis aſſumere poteritis, eoque per ſimilitudinem rem propoſitam demonſtrare;

1. Cavendum ne impleamus orationem tam crebris ſimili-

militudinibus; ut non ita facile res, de qua agitur, dignoſci poſſit; frequentiores etenim ſimilitudines obſcurant potius, quam orationem illuſtrent.

2. Ne ſimilitudines ſint minus ſignificantes, non obſcenæ, ſed ſi laudandum eſt aliquid, ſplendida ſit ſimilitudo; ſi vituperandum, ſordida, hoc eſt, vilis; ſi attollendum, magnifica.

Præterea prudentia Oratoris perſonis, locis, temporibus ſeſe accommodet, ut apud imperitos, facilioribus, apud viros doctos eruditis ſimilitudinibus utatur.

Denique audiendi ſunt ii, qui in ſacris vetant adhibendas eſſe fabulas, nec probant ſapientiam æternam Minervæ, Beatam Virginem Dianæ eſſe comparandam.

De Diſſimilitudine.

DIſſimilitudo, quæ a Ciceron. alio nomine dicitur differentia, *eſt rerum duarum, vel plurium inter ſe diverſarum diſſimilis inter ipſas affectio*. Fit autem, cum ea, quæ comparantur, diverſa eſſe oſtenduntur. Cic. Philipp. 2. *At quam multos dies in ea villa turpiſſima es perbaccatus? Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipſa miſera, quam diſpari domino! Quamquam quomodo iſte dominus? ſed tamen quam diſpari tenebantur! Studiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum diverſorium.*

Diſſimilitudo procedit negando E. G. *Vox præceptoris non eſt ut cæna, quæ minus pluribus ſufficit, ſed ut Sol, qui idem lucis, caloriſque largitur univerſis.*

Notæ diſſimilitudinis ſunt, quæ ſequuntur, diſſimile, diſpar, differens, alius, ſecus. Fit etiam ſine notis. Catullus per diſſimilitudinem monſtrat alium eſſe occaſum lucis, aliud hominis, his verſibus, ſed ſine notis:

Soles occidere, & redire poſſunt:
Nobiſcum ſemel occidet brevis lux:
Nox eſt perpetuo una dormienda.

De

De uſu hujus loci nulla occurrunt dicenda; idem etenim eſt, ac ſimilitudinis.

Duo ſunt canones hujus loci.

1. Diſſimilium rerum diſſimilis eſt ratio in eo, in quo ſunt diſſimiles.
2. Ab unius affirmatione, ad alterius negationem argumentamur ex hoc loco, & e contra.

De Oppoſitis.

Oppoſita *ea ſunt, quæ ſibi invicem adverſantur*, dividuntur in quatuor genera, in adverſa ſcilicet, contradicentia, privantia, & relativa.

Adverſa ſunt *ea, quæ ſub eodem genere poſita, plurimum diſtant, ſeque mutuo expellunt, ut virtus, & vitium*; hæc etenim poſita ſunt ſub eodem genere, nempe ſub genere affectionis, & plurimum diſtant inter ſe, nam virtus eſt affectio nos bonos efficiens, vitium vero malos.

Adverte, quod ex iis contrariis quædam ſunt, quæ aliquod medium admittunt, ut *album* & *nigrum*, interque medium eſt croceum.

Duæ ſunt regulæ, quarum prima eſt, contrariorum immediatorum contraria ſunt conſequentia; hoc eſt, quod uni contrariorum damus, alteri negamus. E. G. *Si ex labore ſcientiæ meſſis ingens, & gloriæ colligitur; ex ignavia dedecus, & ignorantia enaſcetur.*

2. Mediatorum contrariorum, ſi unum ineſt, alterum abeſt, ut ſi niger eſt, non eſt candidus.

Non autem e contra dici poteſt; non eſt niger; ergo eſt candidus; nam poteſt eſſe croceus.

Contradicentia *ſunt ea, quorum unum negat, quod affirmatur ab altero.* Martial.

Inſequeris fugio; fugis, inſequor: hæc mihi mens eſt:
Velle tuum nolo, Dyndime nolle volo.

Unica aſſignatur contradicentium regula. Quoties unum contradicentium ponitur, alterum tollatur, neceſſe eſt: E. G. Si Deus rerum omnium curam gerit, mentitur Epicurus, qui res ſingulares ſingulari providentia, a Deo non adminiſtrari contendit.

Privativa *ſunt ea, quorum unum eſt habitus, alterum privatio*; *ut vita*, & *mors* in animali; mors etenim eſt tantummodo vitæ privatio. Differunt ab adverſis; quod adverſa ſemper ponunt aliquid in re; ex privativis vero unum abſentiam alterius ſignificat. Cic. pro Cæl. n. 33. *Ex ipſa cauſa quæram prius, utrum me ſecum* ſevere, & graviter, & priſca agere malit, an remiſſe, & humaniter, & urbane.

Ab hoc loco argumentari poteſt his regulis.

1. Ubi eſt habitus, non poteſt eſſe privatio, & e contra, ut *cæcus eſt*; *ergo non videt*.
2. Quod habitui tribuitur, privationi competere non poteſt, ut *auditus plurimum prodeſt ad diſciplinas capeſſendas*; ergo ſurditas obeſt.
3. A negatione habitus, ad affirmationem privationis progredimur, & e contra. Martial.

Ebrius; & nec enim faceres id ſobrius unquam.

Hæc contraria idonea ſunt ad copiam parandam in amplificatione.

Relativa *ſunt ea*, *quorum eſſe eſt ad aliud*, hoc eſt, *quorum natura in eo poſita eſt*, *ut ad aliud referantur*. *Filius non eſt aliud*, *quam Patris filius*, *ut neceſſarie reſpectum dicat ad patrem*, & *pater ad filium*; non enim poteſt eſſe Pater ſine filio, & filius ſine Patre.

In relativo, poſito uno, ponitur & aliud. Martial.

Tum ſervum, *ſcis te genitum*, *blandeque fateris*,
Dum dicis dominum, Soſibiane Patrem.

Negato uno, negatur & aliud, ut *non eſt pater*; ergo non habet filios.

Cui convenit unum relatum, alterum convenire non poteſt ſecundum eamdem rationem; ſub vario tamen reſpectu poteſt unum, & idem habere rationes oppo-

ſitas,

ſitas, ut *idem Uliſſes Telembrici pater, & Laertii filius eſt.*

Hæc contraria amant potius dialecticorum acumen, quam pinguam oratorum Minervam.

Triplex eſt uſus oppoſitorum; cum ſcilicet verba verbis, membra membris, periodi periodis diſponuntur; ſed de hoc ſuperius dictum eſt, cum de antitheſi ſermonem in figuris habuimus; illuc vos remitto.

De Repugnantibus.

Repugnantia ſecundum mentem Ciceronis *ea ſunt, quæ ſtare ſimul, & hærere non poſſunt*; & Boetius vocavit contrariorum conſequentiam: Hujuſmodi ſunt, *amare, & injuria afficere: odiſſe, laudare*: leges condere, & mortuum eſſe. Cic. hoc ex loco probat leges, quas promulgat Antonius, non eſſe factas a Cæſare, quod ille jam obiiſſet. *De exilio reducti ſunt a mortuo: Civitas data, non ſolum ſingulis, ſed etiam nationibus, & provinciis univerſis a mortuo* &c.

Repugnantia latius patent, quam contraria; propterea quod contraria certo quodam genere continentur, repugnantia vero, ut talia ſint, ſatis eſt, ut vel in natura, vel in affectione aliqua diſſideant; cum verum ſit, hæc neque certa lege, neque numero inter ſe diſſentire.

Duobus modis erui poſſunt a repugnantibus argumenta.

1. Si duo contraria, illorumque varios effectus ſcrutatus fueris, qui omnes comparati contrariis repugnabunt: contrarium odii amor eſt: perſcrutare effectus, vel adjuncta, vel cauſas amoris: jam habebis odii repugnantia. Ex. G. *Non odit ille Deum, cui preces aſſiduas fundit, quem uberrimis lacrymis ſibi propitium facit.*
2. Si antecedentibus, & conſequentibus addas particulam non, & eam conjungas cum illis, repugnantia

tia facies. Ortus Sol autem antecedit; dies ſolem conſequitur. Jam habes antecedentia, & conſequentia: adde his particulam non: jam habebis repugnantia. E. G. *Ortus eſt Sol; non eſt igitur dies.*

Uſus iſtius loci in eo poſitus eſt, ut per illum refutentur adverſariorum argumenta, & ex ea ratione, quam Oratores nominant ab abſurdo, ſeu incommodo, ſeu impoſſibili; tractaturque per Enthimematum acumina, demonſtrando pugnare inter ſe, quæ ab adverſariis dicta ſunt. Cic. ab hoc loco demonſtrat Cælium abſtrictum non fuiſſe voluptatibus, ex eo quod ea, quæ ipſe geſſit, homini voluptuoſo repugnent. *An hic ſi ſeſe iſti vitæ dediſſet, conſularem hominem admodum adoleſcens in judicium vocaviſſet? Hic, ſi laborem frigeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, in aciem quotidie verſaretur? appeteret inimicitias? ſubiret periculum capitis? ipſo inſpectante P. R. tot menſes de ſalute, aut de gloria dimicaret.*

Repugnantia exponi ſolent his ferme particulis, at, atqui, cur, qui, quæ &c. E. G. *An ad docendum Socratem incitabat pecuniæ cupiditas? at ſcimus hominem paupertatis amantiſſimum ſemper fuiſſe. An ambitio? at ſugit ſemper honores &c.*

Regulæ iſtius loci duæ ſunt.

1. In uno, eodemque repugnantia eſſe non poſſunt; *Spirat, ergo non eſt mortuus: diligit nos; ergo non lætatur noſtro malo.*
2. Quando contraria ſunt immediata, & conſequentia ſunt neceſſaria, valet argumentum a negatione repugnantis, ad affirmationem contrarii; at alias non valet; non enim valet dicere: *non videt; ergo cæcus eſt;* nam poteſt dormire, claudere oculos, & ſic non videret.

Locus hic deſervit ad ornandam, & amplificandam orationem.

De

De Adjunctis.

ADjuncta *ſunt ea, quæ, licet rem non componant, eamque neceſſario comitentur, ſunt tamen cum illa conjuncta.*

Adjunctorum duo ſunt genera; Alterum perſonarum, alterum rerum, ſeu negotiorum.

Adjuncta perſonarum ad tres claſſes revocantur, ad bona ſcilicet fortunæ, corporis, & animi.

Ad bona fortunæ revocantur divitiæ, nobilitates, dignitates, affinitates, amicitiæ, & cetera hujuſmodi, de quibus quæritur: an felix ſit, an infelix homo: nobilis, an ignobilis: dives, an pauper: civis, an peregrinus: privatus, an magiſtratus &c.

Inde deduci poteſt probabile argumentum aliquem feciſſe, aut non feciſſe peccatum; Ex G. Pauper eſt, & in ſua egeſtate miſerrimus; ergo probabile eſt furtum admiſiſſe. Cicer. ex hoc loco defendit Roſ. de par. in ejus verba: *Patrem occidit S. Roſcius: Quis homo? adoleſcentulus corruptas, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta? Vetus videlicet ſicarius: homo* audax, & ſæpe in cæde verſatus? at hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis &c.

Inter bona corporis numerantur ætas, vires, forma, valetudo, & ejuſdem generis alia, quæ ab ipſo ortu ingenita homini fuere, ſive ad agendum, ſive ad non agendum; unde fit, alii ſint ingenioſi, alii acuti, aliis tardiores, nonnulli oblivioſi, bene memores ceteri: iſti humani, & officioſi, patientes, prudentes: illi imbecilles aut valentes, longi, breves, inurbani, deformes, formoſi &c.

Ad hæc revocantur, Natio, & Patria, variique diverſarum gentium mores, quorum intelligentia multum prodeſt ad argumentandum; ita Samii dicuntur cu-

curioſi, Mendaces Cretæ, vindictæ cupidi Hiſpani, jactabundi in paupertate fortes: Galli fervidi, mobiles, faciles, benigni, aliique aliis moribus ſunt ab ipſa inſtructi natura.

Præterea alii ſunt mores fœminarum, alii virorum, alii adoleſcentium, alii juvenum, alii ſenum, quibus omnibus conſideratis, & in unoquoque perpenſis, quam plurima vobis argumentorum fruges ad dicendum redundabit.

Ad bona animi pertinent artes, Scientiæ, & virtutes, quibus aliquis dicitur eloquens, prudens Mathematicus, philoſophus, & hujuſmodi.

Ad hæc revocari poſſunt ſtudium, quod dicitur vehemens ad rem aliquam cum voluptate occupatio: conſilium, quod appellant conſideratam vi faciendæ, vel obtinendæ rationem; facta, quibus hominis affectiones, & facultates dignoſci poſſunt; caſus, ex quo aliqua præter conſilium, ſeu proſpera, ſeu adverſa contingunt: dicta, quæ aliquam rei dubiæ certitudinem afferunt; qualis enim oratio, talis eſt vir: publica tandem vox, ex qua dubiæ fidei plurima, tamquam certiſſima confirmantur.

Adverte quod inter adjuncta perſonarum, nedum bona ſed mala quoque comprehenduntur.

Adjuncta rerum in tres ſpecies diſtribuuntur; aliæ etenim ſunt, quæ res, ut plurimum, antecedunt: aliæ, quæ comitantur; aliæ, quæ conſequuntur.

Primi generis ſunt cauſæ, conſilia, colloquia, injuriæ, conſuetudo, minæ, promiſſa, & alia quamplurima.

In ſecunda claſſe numerantur.

1. Locus, qui duplex eſt; alius a natura, ut *campi*, *&* *montes*: alius ab arte, ut *domus*, *templum*: & hic pariter multiplex, vel ſacer, vel profanus, frequens, vel infrequens, amplus, vel anguſtus, ex quibus argui poteſt, aliqua facta, vel non facta fuiſſe.

2. Tem-

2. Tempus, quo fluunt horæ, dies, hebdomadæ, menſes, luſtrum, ſeculum, anni tempora; ver ſcilicet, æſtas, aut Autumnus, hyems. Ad hoc referuntur varii temporum eventus, ut ſi nubilum fuerit, ſudum, temperatum, procelloſum, longum, breve, vel calore, vel frigore moleſtum.
3. Modus, qui complectitur conſilia, finem, cauſas, cur aliquid factum fuerit, ut ſi dicas, rem geſtam invidia, odio, perturbatione, lucri ſpe, metu egeſtatis, & quod proprius admodum accedit, clam, palam, audacter, inſidioſe, ſcienter.

Hic locus, tum efficax eſt ad laudem in augendo aliquo illuſtri facinore, & ad vituperationem in exagerando crimine: tum habet non parum ſplendoris, & in narrationibus, & in conjecturis.

4. Facultas, quæ continet inſtrumenta, & auxilia ad perpetrandum opus, ut ſunt milites, arma, ſeu eorumdem defectus; ex quo conjici poſſet, opus non admiſſum fuiſſe.

Hic locus multum venuſtatis acquirit, ſi per ſermocinationem tractetur.

Quæ ſunt tertiæ ſpeciei ſunt pallor, & rubor, inceſſus titubans, frequens anhelitus, excitatio, divitiæ, infamia, reprehenſio publica, exhauſtum patrimonium, clades, ſupplicium, & alia perturbationis ſigna; Præterea gladius cruentus, & cetera omnia, quæ ſuſpicionem movere poſſunt.

Ad hunc locum pertinent etiam ſigna, quæ ſunt rei neceſſaria, & cum ipſa re cohærentia, ſeu probabilia, & veriſimilia. Neceſſaria multum habent roboris ad probandum, ut *cicatricem non habet*, ergo *vulnus non ſuſcepit*. At probabilia, infirma maxime ſunt; ſi tamen plura ſint, & multa ſimul coacervata, magnam habent vim ad ſuſpicionem facti movendam.

Hinc probabilem feceris cædem ab aliquo perpetratam, ſi oſtenderis: quod ille paullo ante collocutus clam cum amicis fuerit; quod de nocte domo exierit, quod auditus ſubinde ſit pedum ſtrepitus, & armorum,

rum; quod poſtea latebras quæſierit; quod inventus expalluerit; quod interrogatus titubaverit.

Adjuncta percommoda ſunt, & ad faciendam fidem, tum per negationem, tum per affirmationem; & ad exagerandas, & minuendas res. Cic. ex hoc loco extenuat vim conjuratorum ſecunda in Cat. hæc ſunt ejus verba: *Itaque ego illum exercitum ex Gallicanis legionibus, & hoc delectu, quem in agro Piceno, & Gallico Q. Metellus habuit, & his copiis, quæ a nobis quotidie comparantur, magnopere contemno, collectum ex ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, ex ruſticis mendiculis, ex decoctoribus, ex iis, qui vadimonia deſerere, quam illum exercitum maluerunt: quibus ego non modo, ſi aciem exercitus noſtri, verum etiam, ſi edictum Prætoris oſtendero, concident.*

Præterea valent ad narrandum, ad ornandum, ad laudandum, ad deſcribendum.

Duo ſunt canones hujus loci.

1. TAlia ſunt rei alicujus adjuncta, qualis eſt ipſa res. Si bona ſint laudanda, ſi mala vituperanda, eadem attributa rei conveniunt.
2. In quo ſunt adjuncta rei alicujus, in eum ſimiliter cadere poteſt facti ſuſpicio, & e contra; hoc tamen argumenti genus majorem vim habet in negando, quam in affirmando; propterea quod licet in aliquo adjuncta rei repereris; poteſt tamen ipſe a re ipſa abeſſe; vix autem de aliquo ſuſpicari poſſumus rem factam ab illo fuiſſe, in quo, vel plura, vel aliqua rei adjuncta non ſint.

In hoc loco advertat orator, ut magnam induſtriam adhibeat; & in eligendis circumſtantiis, quæ orationi tuæ facere poſſunt; & in omittendis, vel refutandis, vel dicendi copia obruendis iis, quæ contra ſe facere videbuntur, vel ab adverſariis proferentur.

De

De Antecedentibus, & Conſequentibus.

Difficillimum eſt loci hujus definitionem aſſignare, quæ in adjuncta, cauſas, & effectus non incurrat; hæc tamen definiuntur a Cic. *Ea, quæ cum re neceſſario cohærent; ut antecedentia, quæ rem neceſſario antecedant;* conſequentia neceſſario conſequantur, ut *vulnus cordis mortem antecedit, mors cordis vulnus neceſſario conſequitur.* Et quidem in hoc differunt ab adjunctis, quod adjuncta non ſunt certa rei ſigna, neque eam inferunt neceſſario.

Hic locus perutilis eſt oratori in omni cauſarum genere, tum affirmando, tum negando, & ſemper in argumentatione; nam extra vix locum habet; ni forte ſit ad amplificationem in definitionibus conglobatis; in argumentationibus autem multipliciter tractatur.

1. Cum ex multis antecedentibus una eligitur concluſio rei unius, quæ conſequens futura ſit e g. *Verres perfidus fuit quæſtor, injuſtus Prætor, avariſſimus Præfectus;* ergo Conſul erit iniquiſſimus.
2. Multa ex uno inferuntur, quæ quidem inferendi ratio valet plurimum ad terrendum. Cic. ex hoc loco probat, non admittendum eſſe Antonium in Civitate, e falſa pacis ſpe ea afferendo, quæ poſtmodum in Civitate futura ſint.
3. Cum per contraria, & antecedentia infertur conſequens, & abſurdum; & ſumitur rurſus aliquid conſequenti contrarium, & quo infertur concluſio, quæ priori antecedenti repugnet. Cic. Phil. 3. *Quamobrem omnia mea ſententia complectar, vobis, ut intelligo, non invitis; ut & præſtantiſſimis ducibus a nobis detur auctoritas, & fortiſſimis militibus ſpes oſtendatur præmiorum; & judicetur non verbo, ſed re, non modo non Conſul; ſed etiam hoſtis Antonius: nam ſi il-*

ſi ille Conſul fuſtuarium meruerunt legiones, quæ Conſulem reliquerunt, ſceleratus Cæſar, Brutus nefarius, qui contra Conſulem privato conſilio exercitus comparuerunt; ſin autem, militibus exquirendi ſunt honores novi propter eorum divinum, atque immortale meritum; ducibus autem ne referri quidem poteſt gratia; Quis eſt, qui eum non hoſtem exiſtimet, quem quis armis perſequuntur conſervatores Reipub. judicantur?

Præterea conciliat odium, inſtigat dolorem, confutat, permovet, deſcribit.

Tres ſunt regulæ hujus loci.

1. POſito antecedente, ſine quo conſequens eſſe non poteſt, ponitur conſequens, & viciſſim. Cic. pro Murena probat Murenam Saltatorem non fuiſſe, ex eo quod in illo non fuerunt, quæ ſaltationem neceſſario antecedunt.
2. Si probabilis ſit conſecutio, probabilis efficitur concluſio, e. g. *Flores edidit arbor; ergo probabile eſt fructus pariter editurum.*
3. Poſito conſequente, neceſſe eſt poni antecedens; rediit, ergo abjierat.

De Cauſis.

CAuſa definitur a Cic. *quæ id efficit, cujus eſt cauſa*. Vulnus eſt cauſa mortis, ignis ardoris, Sol lucis; ſeu cauſa *eſt id, ex quo, vel per quod, vel a quo, vel propter quod aliquid fit.*

Hinc patet cauſarum diviſio in quatuor cauſas; in materialem ſcilicet, formalem, efficientem, finalem; alia enim movet, & hæc eſt finis; alia movetur, & eſt efficiens: alia fingit, & eſt forma: alia formam induit, & eſt materia. In efficienda e. g. domo finis eſt commoda habitatio: efficiens eſt artifex; forma eſt ipſius

ipſius domus diſpoſitio, materia ſunt lapides, ligna, cæmentum.

Nota præterea, quod ex cauſis aliæ nulla re adjuvante faciunt id, quod faciunt, ut Sol diem, ignis calorem; aliæ ut faciant, adjuvari volunt, ut terra adjuvari vult Sole, & pluviis, ut fruges, & fructus producat; aliæ tandem naturam efficiendi non habent; & tamen ſine ipſis res effici non poteſt, ut eſt tempus, locus, & hujuſmodi: & has vocant quietas, nihil agentes, & ſtolidas; ſed nobis ſermo ſit de quatuor primariis cauſis, & primum de materiali.

Materia igitur *ea eſt, ex qua in exiſtente fit aliquid*; ita ut ipſa componat id, quod ex ea fit; & hæc triplex eſt, ex qua, in qua, circa quam.

Materia ex qua duplex eſt: una, qua remanente, & componente fit aliquid, ut domus ex lapidibus, in qua lapides ſunt materia, ex qua remanente remanet domus; altera tranſiens, quæ mutatur, nec poſt rem factam remanet, ut ex ligno pereunte, fit ignis.

Ex materiæ dignitate commendantur munera, amplificantur furta, & hoc præſtat Cic. 4. in Verrem, illud Virg. 3. Ænead.

Duæ ſunt regulæ hujus materiæ.

1. POſita materia, poteſt ſequi effectus; ſi tamen cetera non deſint, ſunt lapides, ligna, cæmenta; poteſt igitur conſtrui domus.
2. Remota materia permanente, removetur effectus; non eſt aurum; ergo nec ſunt vaſa aurea.

Notandum eſt in qualibet materia, quod proprietates, quæ a materia proveniunt, vel ea, quæ illi conveniunt, prædicantur de effectu. Item ab iſto removentur quæ illi repugnant, ſive illi non conveniunt. Ex terra homo factus eſt; ergo corruptioni eſt obnoxius.

Copioſus, & utilis eſt uſus iſtius modi materiæ; valet enim ad exageranda crimina in amplificatione; ad res commendandas in laudibus, & ad exponendas, ſubjiciendaſque eas oculis in deſcriptionibus.

Materia in qua *eſt ſubjectum formæ, & accidentis*, ut animus hominis eſt ſubjectum ſcientiarum; quod illæ in animo recipiantur.

Ad argumentandum ex hoc loco, hæc ſunt axiomata.

1. Sublato ſubjecto, quæ inhærent accidentia, tolluntur; & contra, ignis eſt; ergo eſt calidus.
2. Cum circa materiam aliquid verſatur, quoties illa removetur; & ſubjectum removeatur, oportet.

In hoc ſolo, ne vites quidem ſunt; ergo nec ebrii.

Materia circa quam *ea eſt, circa quam verſantur varii actus, vel habitus, vel facultates.* Virtutes ſunt materia, circa quam verſatur laus.

Cauſa materialis adhiberi ſolet, tum ad probandum, tum ad hortandum, dehortandum, & extollendum; ex nobiliore enim materia demonſtrari poteſt major alicujus artis ſuper ceteras excellentia; ideoque & ſuper ceteras elevatur, & ad illam homines cohortantur &c.

Forma eſt *nota, ſeu ratio, per quam res eſt id, quod eſt*; hæc triplex conſtitui ſolet: Eſſentialis, accidentalis, artificialis.

Eſſentialis, quæ alio nomine dicitur intima *ea eſt, per quam res conſtituitur eſſentialiter talis*; ut anima rationalis eſt forma eſſentialis hominis; quia per illam conſtituitur eſſentialiter homo.

Accidentalis *ea eſt, quæ ad naturam rei non pertinet, & ſine qua res poteſt intelligi perfecta licet naturam ſæpe conſequatur.* Videndi facultas in homine, albedo in pariete ſunt formæ accidentales: illa hominis, hæc parietis; nam ſine illis, & homo, & paries adhuc intelliguntur.

Hæc dividitur in intrinſecam, & inhærentem, ut ſapientia, a qua conſtituitur ſapiens; & in extrinſecam, & apparentem, ut veſtis, per quam dicitur veſtitus.

Ar-

Artificialis, quæ etiam dicitur externa, *ea eſt*, *quæ naſcitur ab arte*, *& ut plurimum poſita eſt in ordine*, *ad partium diſpoſitionem*, & ut partium diſpoſitio in aliqua domo dicitur forma domus. Ab hac forma res artefactæ ſuam denominationem accipiunt. Propterea quod tam concha, quam candelabrum ex eadem materia ſcilicet ex auro componuntur, propter tamen diverſas formas illa dicitur concha, hoc candelabrum.

Licet argumentum deſumptum a forma debile ſit, & infimum, forma tamen adhiberi ingenioſiſſime poteſt, tum in amplificationibus, & deſcriptionibus, tum ad laudem, & vituperium. Cic. 6. in Verram: *fuit apud Segeſtanos ex ære, Dianæ ſimulacrum, tum ſumma, atque antiquiſſima præditum religione, tum ſingulari opere, artificioque perfectum. Hæc erat poſita Segeſtæ, ſane excelſa in baſi, in qua grandibus literis P. Africani nomen erat inciſum. Erat admodum amplum, & excelſum ſignum cum ſtola; verumtamen inerat in illa magnitudine ætas, atque habitus virginalis; ſagittæ pendebant ab humero: ſiniſtra manu retinebat arcum: dextra ardentem facem præferebat*.

Duæ aſſignantur regulæ hujus formæ.

1. POſita cauſa formali, ponitur effectus, ſublata tollitur; Nix albedinem habet; ergo alba eſt; calorem non habet, ergo non eſt calida.
2. Quæ formæ conveniunt, effectibus accommodantur; removentur autem ab iis, quæ formæ non congruunt. Sapientia ſummum bonum eſt, ergo & ſapientem eſſe; Divitiæ non ſunt optimum bonum; ergo nec divitem eſſe.

Cauſa efficiens *ea eſt*, *qua aliquid fit*, *ſeu principium*, *unde actio proficiſcitur*. Hæc multiplex eſt: alia eſt procreans, ut terra, parentes, artifices: alia ſuprema,

ma, ut Deus, natura; alia inferior, ut terra eclypſis Lunæ, Aquilo ſerenitatis: alia conſervans, ut ſtagna, quæ piſces conſervant: alia adjuvans, ut mediocris labor, qui adjuvat calorem; alia interimens, ut febris, quæ interimit hominem; alia naturalis, ſed phyſica, ut artifex eſt cauſa phyſica cathedræ: alia moralis, quæ quidem agendo ad effectum non concurrit; cenſetur tamen concurrere; quod ipſam cauſam efficientem ad opus impellat, ut ſpes præmii eſt cauſa moralis fortitudinis in milite. alia ſuaſoria, ut quis dicitur cauſa homicidii, non quia ipſe homicidium fecerit; ſed quia acceſſerit ſuaſor alteri, qui fecit; alia dicitur impellens, qua operamur per animi motus, & ſine ratione, ut monſtrat Cic. feciſſe Milonem, Clodium occidendo his verbis. *Valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor injuriæ, punitor doloris ſui*: alia voluntaria, qua per rationem operamur, ut pater filium exhæredat, quod cum illo ſe male geſſerit; alia principalis, ut Imperator dicitur cauſa principalis victoriæ.

Addite his omnibus fortunam, quæ etiam inter cauſas referri poteſt.

Cauſa efficiens non verbis ſolum, ſed rebus etiam fæcundam facit eloquentiam, in civilibus cauſis præcipue, ceteriſque rebus inveſtigandis, quæ pendent ab ipſis cauſis, in proponendis virtutibus, ſeu vitiis, effectibus, & eventis, ex quo ubertas effluet in dicendo, ſi plures cauſæ adjuvantes fuerint conglobatæ.

Valet præterea ad augendum, & minuendum, ad hortandum, & dehortandum, ad expoliandum, & amplificandum. Cic. 2. in Verrem. *Cogita, quo loco ſis: quid dare populo Romano: quid reddere majoribus tuis debeas. Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege Pop. Rom. de pecuniis repetundis optimis judiciis, ſeveriſſimiſque judicibus uſus eſt. Circumſtant te ſummæ auctoritates, quæ te oblivisci laudis domeſticæ non ſinant; quæ te dies, noctesque commoneant, fortiſſimum tibi patrem, ſapientiſſimum avum, graviſſimum ſocerum fuiſſe.*

Va-

Variæ ſunt regulæ hujus loci.

1. UBI non eſt cauſa, nec eſſe poteſt effectus: nulla producitur cauſa, cur Roſcius fecerit parricidium; ergo parricidium non fecit.
2. Quæ inſunt cauſis, attribui poſſunt effectibus. Mundus a Deo creatus, igitur erit opus numeris omnibus abſolutum.
3. A cauſis ſpontaneis leve eſt argumentum, niſi aliis cauſis, & circumſtantiis roboretur, ſi dicas verendum eſſe, ne Turca mare occupet, quod plurimos habeat navium fabricatores, ratio infirma eſt, valetque nihil, ni addas quoque, quod ligna, ferrum, & alia poſſideat ad naves fabricandas neceſſaria, quod portus habeat munitiſſimos, quod nautas, & milites expertiſſimos, quod utilitate aliqua moveatur ad occupandum mare.
4. Si cauſa actu operetur, probat, ſi operari poteſt, effectus fieri poſſe, monſtrabitur.

Finis eſt *id, cujus cauſa fit aliquid, ſeu id extremum, ad quod res tota refertur*, ut finis prælii eſt victoria, ſtudii ſcientia.

Finis familiaris eſt Oratori, tum in laudibus tum in vituperationibus; cum etenim finis ſit humanarum actionum regula, & forma; ſi turpis ſit, & inhoneſtus, vituperationibus, ſi honeſtus, & decorus, laudi plurimum ſervit.

Præterea amplificat, & movet, ſuadet, & diſſuadet, hortatur, invidiam movet, metum injicit, & pudorem, commiſerationem ciet. Cic. P. R. hortatur ex hoc loco præcipue, ne agrum optimum vendi patiatur. Hæc ſunt ejus verba: *Unum fundum pulcherrimum, caput veſtræ pecuniæ, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonæ diſperire patiemini? obliti eſtis Italico bello, amiſſis ceteris vectigalibus, quantos agri campani fructibus exercitus alueritis?*

Ceterum nihil eſt, quod magis hominum animos moveat, quam finis; cum enim homines ſemper propter finem operentur, manifeſtum eſt, propoſito fine ab oratore, moveri homines poſſe in eam partem, quam velit. Ita propoſito fine immortalitatis, & gloriæ, quæ naſcuntur a virtute, homines ad virtutem moventur; propoſitæ pro fine ſecuritas Patriæ, incolumitas rerum, & fortunarum, quæ conſequuntur hoſtium depreſſiones in bello, homines ad bellum moventur.

Nonnulli ſunt hujus loci canones.

1. Qualis eſt iſte finis, ſive bonus, ſive malus, talis eſt res, quæ ad illud finem per ſe ordinatur. Si honeſta eſt ſcientia, honeſtum erit & illius ſtudium. Hoc tamen dicitur, cum res per ſe mala non eſt, tunc enim non honeſtatur a fine bono, ut patet in furto, quod fiat ad ferendum ſubſidium pauperibus.
2. Cujus finis bonus eſt & id bonum: cujus optimus eſt, & id optimum eſt: Si eloquentiæ finis melior eſt, quam juris prudentiæ, etiam eloquentia melior eſt, quam juris prudentia.
3. Qui finem expetit, eadem & amplectitur media, quæ ad illum obtinendum conducunt, ſi pace frui volumus, vel fœdus eſt ineundum, vel bellum cum hoſtibus eſt conficiendum.
4. A fine removenda ſunt contraria media.
5. Ex negatione cauſæ finalis, ſequitur effectus negatio. Si Milo occidit Clodium, his tantum occidit de cauſis; vel quod eo adverſante non poterat eſſe conſul, vel quod ipſe conſul erat eligendus; neutrum verum fuit, ergo Milo Clodium non occidit. Sic Cic. defendit Roſc. de parricidio his verbis: *Vi-*

ta hominum eſt, ut ad maleficium nemo ſine ſpe, ac emolumento conetur accedere, oſtendens deinceps nullum non ſolum emolumentum eveniſſe Roſ. exparentis nece, ſed etiam graviſſimum detrimentum ex ea reportaſſe.

6. A fine non acquiſito, varia infertur cauſa; Dux non eſt aſſecutus victoriam; ergo inepte; ergo incaute; ergo infeliciter pugnavit.

De Effectibus.

Effecta definiuntur a Cic. *quæ ſunt orta de cauſis*; quapropter ex omnibus cauſis educuntur, ii que cauſas quaſcumque probamus. Princeps delectum habet militum, conſcribit legiones, duces convocat, ergo bellum meditatur.

Eadem quoque ſi negentur de aliquo, de eo pariter negatur cauſa, cujus ſunt effecta. Adoleſcens non vagatur otioſe per urbem; non obiter, ac perfunctorie res ſuas agit: non ad multam diem ſternit mens; igitur eum male nominas negligentem.

Effecta cum magna dicendi copia tractari poſſunt in omnibus cauſarum generibus; in ſuaſionibus, & diſſuaſionibus, in accuſationibus, & defenſionibus: in laudibus, & vituperationibus.

Habent etiam locum, cum aliqua obiecta ſunt ab adverſariis, tunc etenim ea refelluntur oppoſitis effectibus, quod venuſte fiet ab oratore, ſi interrogationibus frequenter utatur, ſubjectionibus, repetitionibus, apoſtrophe &c.

Huc revocantur Metonymiæ, quæ cauſam per effactum declarant, & contra, valetque hic dicendi modus, tum ad varietatem locutionis, tum ad numerum orationis, circumſcriptionemque periodi. Præterea amplificant, & deſcribunt, quod præſtari debet per longam effectuum congeriem, ſive laudemus, ſive vituperemus.

Canones hujus duo ſunt.

1. Expoſito effectu, neceſſe eſt præfuiſſe cauſas ad effectus neceſſarias. Homo eſt conditus, eſt igitur ad æternam felicitatem corpore, & anima compoſitus.
2. A bonitate, ſeu præſtantia effectus, bonitas cauſæ arguitur, & præſtantia. Sic Cic. pro Mur. demonſtrat effectibus ad conſulatum adipiſcendum plus valere virtutem militarem Murenæ quam C. Sulpitii juris prudentiam.

De Comparatione.

COmparatio *ea eſt, per quam duo, vel plura in aliquo tertio conferuntur quod illis commune ſit* e. g. Catoni licuit ſequi bellum civile; ergo & Ciceroni licebit; ubi ſequi bellum civile commune eſt ambobus, Ciceroni ſcilicet, & Catoni, qui in eo conferuntur. Quoniam vero in triplici genere res quæpiam conferri poteſt, ideo triplex eſt comparatio. Res etenim aliæ majores ſunt, hoc eſt veriſimiliores, & quibus id, de quo agitur, potiori jure conveniat; aliæ inæquali gradu veritatis ſunt poſitæ, ut non ſatis agnoſci poſſit, utrum res potius conveniat iis ne, quæ conferuntur; an iis, cum quibus conferuntur.

Hinc naſcitur triplex comparationis genus, a majori ſcilicet ad minus, a minori ad majus, & a pari.

A majori ad minus argumentamur hoc pacto; cum ſcilicet ex eo, quod veriſimilius eſt, & convenientius, & tamen nec convenit, nec verum eſt; aliud, quod veriſimile, minuſque conveniens ſit, nec convenire, nec verum eſſe colligimus. Cic. pro dom. ſua docet Deos immortales domum ſuam non concupiſſe, quod ne homines quidem ſceleratiſſimi illam expetiverint. Qua in re vobis eſt advertendum, quod in comparatio-

ne

ne id non eſt majus, quod majus eſt, ſed quod verius, & convenientius eſt.

Præterea in hoc argumenti genere, tum id, quod infertur, tum id, ex quo infertur, ſemper habet adjunctam negationem.

Comparatio a majori frequens eſt in amplificationibus. Tum nobis licere dicimus parva, ex eo quod majora aliis conceſſa ſint, ſive levius quidquam, vel facere poſſe, vel pati contendimus eos, qui gravius aliquid antea geſſerunt. Cic. pro Mur. aſſentatur Sulpitio, facta comparatione a majori ad minus, inter eloquentiam, & juris prudentiam. Hæc ſunt ejus verba: *Si tibi neceſſe putas etiam adverſariis amicorum tuorum de jure conſulentibus reſpondere: etſi turpe exiſtimas, te advocato, illum ipſum, quem contra veneris cauſa cedere: noli tam eſſe injuſtus, ut cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, noſtros rivulos etiam amicis putas clauſos eſſe oportere.*

Ad hunc locum revocari poſſunt gradationes oratoriæ.

Duæ ſunt regulæ hujus loci.

1. SI quod magis probabile videtur, verum non eſt: verum quidem non erit quod minus probabile eſt. Si quinque legiones hoſtilem exercitum vincere non potuerunt; multo minus poterunt duæ.
2. Quod majori negatur, minori tribui non debet. Hector ſummæ fortitudinis vir Trojam a Græcis non defendit; mollis, & effæminatus Paris defendet?
3. Quod valet in majori valet in minori. Virg. *O paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem.*

Argumentum a minori ad majus hanc habet vim; Si quod minus probabile eſt, nihilominus verum eſt, quod magis erit probabile verum erit exiſtimandum. Si duabus legionibus ſuperari potuit hoſtilis exercitus, idem poterit & quatuor.

Argu-

Argumenta ex hoc loco deducta ſemper affirmative procedunt.

Facilis eſt uſus hujus loci, valetque & ad perſuadendum, & ad delectandum, præterea amplificat, movet, laudat, vituperat, hortatur, objurgat. Cic. ex hoc loco P. R. hortatur ad imperii ſui gloriam retinendam pro leg. Man. *Majores veſtri ſæpe, mercatoribus injurioſius tractatis bella gesſerunt; vos tot civium Rom. millibus; uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt: Vos cum Regem multum patiemini, qui legatum P. R. conſularem vinculis, ac verberibus atque omni ſupplicio excruciatum necavit?*

Unica aſſignatur hujus partis regula, eaque eſt: quod valet in minori, valet & in majori. Claud.

Nullus ab hoſte metus quis enim, quem vincere ſolum.

Non potuit, tanto munitum milite vincat?

Cum paria paribus conferuntur, eorum par eſſe debet judicium; & quod valet in uno, in alio debet admitti: *Illæ beatæ animæ, quæ cum Deo in cælis fruuntur innocentia, & laborum tolerantia æternam ſibi gloriam pepererunt, iisdem nos ad tantum honoris faſtigium gradibus oportet aſcendere.*

Eodem modo concludere poſſumus negative. *Non vitæ turpitudine, non opum, non voluptatum libidinem cælum pervenerunt, nec ergo nos in luxu, ac deliciis viventes eodem perventuros putemus.*

Paria valent ad exornandum, & non parum conferunt ad motus, & amplificationes. Cic. Philip. 5. Antonium cum infeſtiſſimo Romanorum hoſte Annibale componens a pari ita loquitur: *Ergo Annibal hoſtis, civis Antonius? Quid ille fecit hoſtiliter, quod hic aut non fecerit, aut non faciat, aut non moliatur, aut cogitet?*

Præterea urgent, objurgant, refellunt, vituperant.

Differt hic locus a ſimilitudine; quod in ſimilitudine

ne non quæritur quantitas, & exceſſus, ſed tantum ſimilis qualitas; & quod ſimilitudo habet venuſtatem in explicando, & ornando, non vim in argumentando; comparatio vero attendit quantitatem, & exceſſum, firmiſſimaque ſuggerit ad probandum argumenta.

Tres ſunt canones hujus loci.

1. QUod valet in uno parium valet in altero. Qui occiderit patrem inſutus in culeo dejiciendus eſt in proffuentem: ergo & qui matrem occidit.
2. Quod non valet in uno, nec valet in altero. Non reprendendus Cic. quod illam defenderit, ergo nec Hortenſius, qui hoc idem præſtitit.
3. Parem eſſe bonis bonum eſt: malum, malis. Cic. Philipp. 3. *Quid accidere Octavio adoleſcenti potuit optatius quam cognoſci ab omnibus Cæſaris conſiliorum eſſe ſocium. Antonii furoris immicum?*

Nota, quod hæc ſingula loca cum aliis locis miſceri poſſunt intrinſecis, ſeu extrinſæcis, tum ad amplificationem, tum ad argumentum.

De locis remotis, ſeu extrinſecis.

LOca remota, ſeu extrinſeca juxta mentem Quinctiliani ſunt probationes arte carentes, non quia ſint inartificiales, exquirunt etenim magnum Oratoris artificium; ſed quia ſunt extra artem Oratoris, hoc eſt, probationes deſumptæ non ex viſceribus cauſæ. Hæc autem potiorem partem ſibi vindicant in forenſibus contentionibus; dividuntur in ſex ſpecies, quæ ſunt; teſtimonia, præjudicia, tabulæ, jusjurandum, rumores, quæſtiones.

De

De Teſtimonio.

TEſtimonium comprehendit quidquid ab alia re externa, vel perſona ſumitur, ad faciendam fidem.

Dividitur in divinum, & humanum.

Teſtimonium divinum continet oracula, auſpicia, vaticinationes, reſponſa ſacerdotum, aruſpicum, & conjectorum.

Oraculum eſt, *cum per ſe nobis Deus verba facit.*

Auſpicium, *cum per aves aut cœlum ipſum loquitur.*

Vaticinium, *cum per homines, qui nullo externo ſigno, ſed vi quadam inſita, futura cognoſcuntur.*

Reſponſa ſacerdotum, *cum per ipſos homines, qui ſacros libros interpetrantur.*

Aruſpicum, *cum per ipſos homines, qui ex inſpectione hoſtiarum, portentis, & ſignis quibusdam inſolitis*, futura conjiciunt.

Conjectorum reſponſa, *cum per eosdem, qui ſomnia interpetrantur, quod fieri debet, exponitur.*

Oracula, quæ nos Chriſtiani fuſiora in ſacris habemus eloquiis, confirmantur a naturæ nobilitate, a veneratione, & religione, ab auctoritate, qua ſemper fuerunt apud omnes, etiam Ethnicos, & a pænis, quas luerunt viri religioſi.

Refelluntur, ut ſunt Ethnicorum, ex eo quod deſumuntur a Dæmone, mendaciorum patre; quod obſcura, dubia, incerta ſemper dabantur; & quod ipſi Ethnici contra eadem ſcripſerint.

Ceterum nil nobis opus eſt verba facere de auſpiciis, de vaticinatione, de ſacerdotum, aruſpicum, conjectorum reſponſis; cum etenim Chriſtiani ſimus, nihil ad nos Ethnicorum errores, niſi ut eos deteſtemur. Hæc tantum modo dicam in hac re; ea, quæ habemus in ſacris paginis, ſive ſint prophetiæ, ſive ſomnia, ſive oracula. ſive Sanctorum Patrum interpetrationes, & reſponſa, ſive ſummorum Pontificum ſan-

ſanctiones, & leges: hæc apud nos tantæ auctoritatis eſſe debeant, ut iis confirmare, quæ vera, infirmare, quæ falſa ſunt, unicus nobis ſit labor. Præterea in Sanctorum laudibus poſſunt nobis occurrere quædam, ſive ſomnia, ſive divinationes, ſive oracula, ſive Sacerdotum reſponſa, quæ plurimum faciant ad ipſorum panegiricum. Hæc a nobis nullo modo ſunt rejicienda, ſed quibus poſſumus Eloquentiæ nervis tractanda, per varias figuras, & flores, prout ratio poſtulat, & ex illis conjicere, quæ ab iis ſanctiſſime geſta fuerunt, tamquam facta non fuiſſent, ſed eſſent futura.

Teſtimonium humanum, licet trifariam dividatur a Tullio: nos ut brevitatem ſectemur, & noſtram methodum non relinquamus, leges tantum, & teſtes comprehendere dicemus.

Lex igitur eſt *recta agendorum, & omittendorum ratio*.

Dividitur in jus commune, ſeu gentium, & in jus civile, ſeu proprium.

Jus commune, ſeu gentium eſt, *quo omnes homines utuntur in judiciis, bellis, legationibus, emptionibus, venditionibus; ceteriſque fœderibus ſanciendis*. Hoc autem non ſcripto conſtat; ſeu moribus, & uſu ad bonum ſocietatis humanæ inductum eſt.

Jus proprium, ſeu civile *proprium eſt alicujus Civitatis, vel Provinciæ, vel regni, & ſcripto continetur, vel longa, & inſolita conſuetudine paulatim receptum eſt*.

Uſus juris civilis maxime in foris valet; quare qui ad forum accedit, illud optime calleat, oportet. Lex percommoda Oratori, ſi iis concepta ſit verbis, quæ ad rem ſuam facere poſſint; & tunc cum dignitate, & pompa tractanda eſt, afferendo potiſſimum leges vinculum eſſe Civitatum, quo diſſoluto prædonum receptaculum evadent reſpublicæ. Eas commendabit ab iis quæ de ipſis glorioſe ſcripſerunt veteres, ab auctoritate eorum, qui eas condiderunt, ab ipſa earum honeſtate, ab utilitate, quam maximam afferunt rebus primis.

Præterea monere poterit judices, ne ipſi, qui legum cuſto-

cuſtodes ſunt, a legibusdiſcedant, dicet fruſtra ſcriptas eſſe leges, ſi cuilibet ſenſum pro arbitrio licet affingere; oſtendet legem, quam affert, nullis ambagibus implicatam, nec poſſe in contrariam partem facile detorqueri.

Contra legem ire poteſt orator; quod facile præſtabit, ſi dicet ipſius nullum eſſe vigorem: vel quod extincta cauſa ſit, qua lex lata fuit; vel quod major utilitas ſequatur, ſi lex ea occaſione abrogetur: Si afferat injuſte latam eſſe, & ex vi, ſeu metu factam; ſi demonſtraverit neceſſitatam aliquam faciendi contra legem. Tunc etenim humanis legibus locus non eſt, cum lex naturalis violanda. Rurſus quando accidit, ut caſum aliquo duæ leges inter ſe pugnent, tunc oratori ſuffragabitur illa, quam ipſe volet. Eſt lex: exhæredatus paternorum bonorum expers.

Eſt & lex alia; qui in naufraga navi remanſit, navis illius eſt jam navis onuſta mercibus in mari periclitatur omnes abeunt, ſolus filius mercatoris, cujus navis eſt, remanet in illa: navis portum appulit ſalva, & filius navim ſibi retinet, & ſuam facit. Pater ex prima lege ſuas repetit merces: filius reſpondet altera.

Si crimen in legem arietet; tunc lex interpetranda poteſt fieri duobus modis; vel verba, & ſcriptum ſequendo, & confugiendum eſt ad juris moderationem; vel conſilio legislatoris conſiderando; & tunc rogandi judices, ut finem legislatoris attendant. Eſt lex E. G. Vetus imperator novo imperatori tradat exercitum; alioquin capitale. Epaminundas Succeſſori ſuo noluit exercitum tradere, quod ſub eo Duce adverſa timeret Reipublicæ, paucis poſt diebus inſignem reportavit victoriam, haud dubie contra legem deliquit, & ideo accerſitur capitis, probet Orator pro ſalute Reipublicæ id factum, & legis moderationem, veniamque imperatori ab judicibus obtinebit.

Teſtium duo ſunt genera, quorum unum veteres comprehendit ſcriptores, & viros illuſtres, qui graves ſen-

ſententias ſcripſerunt, vel dicto pronunciaverunt; alterum eos continet, qui voce, vel ſcripto fecerunt præſentes teſtimonium. Primi generis teſtes cauſas confirmant, ſi præmiſſa ampla eorum commendatione, ipſorum afferantur ſententiæ, quæ ad rem faciant.

Secundi generis producendi ſunt cum magnifica ipſorum laude, qui fuerint oculati, qui auditi, qui jurati Si vero ex ſua induſtria Orator teſtimonium aliquod petere poterit ab ipſis adverſariis, vel ab ipſorum amicis, & conſanguineis, tunc firmior erit probatio. Si dubiæ fidei teſtes occurrat afferre, oſtendendum erit; vel quod judices in aliis cauſis iiſdem uſi fuerint; vel quod res ea ſit, ut ne improbiſſimus quidem poſſit mentiri. Præterea eſt aliud teſtimonii genus, quod orationem vocant, trahiturque a verbis cujuſque & ſane firmiſſimum eſt.

Teſtes impugnantur, ſi doceatur, eos eſſe in partem periculi, in quo adductus eſt ille, pro quo teſtimonium ferunt, domeſticos eſſe ſervos, & amicos, affines, & ejuſdem artis cum illo, pro quo teſtantur; ſi dicatur infames eſſe, improbæ vitæ, & illi inimicos, contra quem teſtimonium ferunt. Cum autem ab adverſariis producuntur teſtes probatæ vitæ, & notæ integritatis, in quos nulla earum rerum, quas diximus, cadere poſſit ſuſpicio; tunc teſtes infirmari poſſunt; ſi dicamus, pleroſque exiſtimare ſe obſequium præſtare Deo, ſi teſtimonio ſuo licet falſo reum amicum, aut quemlibet alium e mortis, aut famæ, aut fortunæ periculo liberent.

Præterea teſtes confirmat, & infirmat diligentia in inveſtigando; qua confidentia dicant, aut trepidatione: qua inconſtanti fronte dicant, & vultu qui teſtimonium dicunt. Denique ira, vel odium, ulciſcendi ſtudium, dolor injuriæ, vel imperii cupiditas, periculi timor, æs alienum, anguſtia rei familiaris, preces, audacia, ſtultitia, ebrietas, & alia hujuſmodi quamplurima ſuſpectos reddunt teſtes.

De

De præjudiciis.

PRæjudicia ſunt anteriora quædam judicia, quæ ad præſentis rei judicium aliquid afferre poſſunt. Ex ſuperioribus enim indiciis, ſi optime conſtituta ſunt, poſteriora confirmari nemini dubium eſt.

Hæc ſunt Senatus conſulta, quibus utitur orator ad ſimilem cauſam, ut eadem ratione definiendam eſſe confirmet.

Præjudiciorum tria ſunt genera.

Primum eſt earum rerum, quæ ex paribus cauſis aliquando indicatæ ſunt. Si Orator aliquid velit decerni propter cortuptos mores juventutis, tunc dicet, propter eamdem cauſam, olim lege publica exhæredatos perditos adoleſcentes.

Secundum genus eſt, cum multá, quæ cauſæ noſtræ annexa fuerunt, jam judicata ſunt. Si in cauſa Cic. pro Dom. ſua judicatum ante fuiſſet, Clodium non potuiſſe fieri tribunum plebis, ex illo præjudicio optime concluſiſſet, non jure, ſed injuria domum ſuam everſam fuiſſe.

Tertium genus eſt, cum de eadem, ſeu ſimili cauſa factum eſt ante decretum de derimendis agris publicis Sen. Con. antea facta fuerunt; ex iis vi illorum præjudiciorum de eadem re, eodem modo, ſtatuendum eſt.

Præjudicia confirmanda ſunt ab oratore, commendando auctoritatem illorum, qui eamdem ſententiam decreverunt, comparando præjudicium cum noſtro judicio, rem cum re, cauſam cum cauſa: hortando judices, ut aliorum decretis inhæreant, vel ut in ſententia perſeverent; Si apud eos agatur, quorum ſunt præjudicia: oſtendendo, demum rem graviorem in controverſiam poſitam eſſe, quam in ipſis præjudiciis, propter quam potiori jure in cauſa noſtra idem ſit ſtatuendum.

Præ-

Præjudicia infirmantur, ſi cauſa oſtendatur diſſimilis: ſi demonſtrabitur aliquid injuſte, non rite factum; ſi ſententia lata ſit ex invidia & tumultu; ſi probabitur aliquid novum acceſſiſſe cauſæ, quod ſi in priori fuiſſet, eam ſententiam non tuliſſent judices; ſi demum pronuntiabitur actorum negligentia, infirmitate perſonarum, temporum conditione, adverſariorum gratia, & potentia, teſtibus corruptis, invidia, ignorantia, aliiſque hujuſmodi damnatum aliquem fuiſſe iis præjudiciis, quæ contra nos afferuntur. Si præjudicia non aliter infirmari poſſint, quam afferendo eadem falſa eſſe, & iniqua, & judices ſtare videantur in ſententia, ne inconſtantes habeantur, tunc docendi ſunt nihil obeſſe eorum famæ ſententiæ mutationem, reijciendaque culpa eſt male judicatæ prioris rei in oratores, & actores.

De Tabulis.

TAbulæ ſunt *teſtimonia*, *quæ ex ſcripto proferuntur*: quo nomine continentur contractus, & codicilli, ſtipulationes, & teſtamenta, & hujuſmodi generis alia.

Tabulæ probant: ſi antiquos eſſe: ſi plures in iiſdem ſimul conſentire; ſi integras eſſe, nec ſuppoſitas; ſi factas, a probis, & integræ famæ hominibus demonſtretur. Infirmantur vero: ſi plures inter ſe diſcrepare: ſi novas, corruptas, & ſuppoſitas; ſi ab improbis, & infamis vitæ viris factas eſſe probabimus. Denique tales ſunt tabulæ, quales ii, qui eas vel confecerint, vel aſſeverarint, ſuamque fidem ab auctoribus trahunt: quare eorum æquitate, & experientia confirmantur, improbitate, & ignorantia refelluntur.

Huc revocantur pacta, & ſigna.

Pactum definitur a Ciceron. *id quod inter alios convenit*, & a Vulpiano *duorum conſentio*, *atque conventio*.

In pactis tum ad confirmationem, tum ad refutationem, quamplurima ſunt conſideranda, &

1. Quales ii ſint, inter quos interceſſerit pactum, nam ſi improbi ſint, pactum poteſt conijci iniquum; ſi ſancti, & integri, ſanctiſſimum, optimumque.
2. Examinanda res ipſa eſt, quæ pacto continetur, totaque ratio, qua pactum tranſactum eſt; nimirum ſi pactum ex inaugurato tranſactum ſit, nec ſervatis ritibus, qui ex nationum moribus ſunt colligendi; ſi neque loco, neque debito die; ſi de re, aut reipublicæ, aut privatis hominibus pernicioſa; ſi non ad publicam, aut ad privatam utilitatem factum, & plura hujuſmodi in utramque partem perpendenda.
3. Videndum eſt, an pactum conveniat legibus; an alicui pacto, aut viri ſcripto, vel naturali opponatur. Signa comprehendunt Chirographa, vel ſubſcriptiones, & ſigilla tabulis impreſſa. Hæc loco teſtimonii, & tabularum proinde eodem modo in utramque partem tractantur. Propterea ſigna publica civitatum magnam fidem habent; ſuppoſita, vel per vim, vel per metum & fraudem extorta, nullius roboris ſunt.

De Jurejurando.

Juſjurandum eſt *affirmatio*, *vel negatio* rei Sacræ contrectatione confirmata. Teſtimonium jure jurando firmatum validius eſt reliquis, & tale illud eſt, quales ſunt mores eorum, qui jurant.

Juſjurandum aut adverſario permittitur; aut denegatur; aut ſponte ſumitur, vel ad accuſantis arbitrium: aut oblatum non admittitur. Quare hæc ſunt obſervanda.

1. Qui juſjurandum renuit adverſario permittere, dicat ſe non dubitare illum pejeraturum, quod evincet ſuperioribus ejuſdem perjuriis, ac vita flagitioſa.

Po-

Poterit addere rurus, ſe cauſæ ſuæ ſatis confidere; quippe quæ, tam aperta eſt, ut in dubium revocare non poſſit; & ſe ſperare ſententiam laturos eſſe judices etiam in adverſarios non juratos. Poſtremo aſſeret, ſe malle judicum religionem, quam adverſariorum ſequi, utpote qui cupidi, avari, & quibus nulla ſit fides.

2. Qui oblatum non admittit, dicet ſe nolle jurare, ne pecunia corruptus videatur; argumentum eſſe probitatis, jusjurandum aliquando detrectare; æquum non eſſe, ut ab impio prius provocetur, quod ſoleant homines timido ad Sacramentum accedere; impii vero audacter cum rerum divinarum contemptu, innocenti eſſe loco jurisjurandi ipſam innocentiam.

3. Qui oblatum recipit ab adverſario, profiteatur ſe fretum conſcientia ſua ſacramentum dicere, tum quod ipſe ſibi credat, tum propter rei veritatem, quam confirmandam ſuſcipit, tum propter ſuos mores ab omni fraude abhorrentes. Deinde ſe judicum exemplo tutabitur, qui jurati pariter de legibus judicant.

4. Si quis jusjurandum alteri deferat, pronuntiabit ſe rem totam ſuperius committere, qui ultores ſunt fandi, atque nefandi: indignum eſſe jusjurandum abnuere ſuper ea re, de qua ſententiam judices poſtulant.

De Fama, ſeu rumore.

FAma, ſeu rumor *ſermo eſt ſine ullo auctore expreſſus, cui malignitas initium dedit, incrementum credulitas.* Sed hæc definitio rumores complectitur inanes, & vacuos. Veri igitur rumores ii ſunt, qui conſtanti firmantur hominum opinione, quique jamdiu conſtantes certo, & gravi auctore, in ore omnium verſantur; unde patet rumores alios eſſe inanes, alios graviores.

Rumorum vis infirmatur ab inconſtanti fama, atque rumorum natura, qui ubi ſpargi cæperint, ſubito creſcere ſolent, & in eam magnitudinem dilatari, quæ vix credi poſſit; proponenda ſunt pericula, quæ manant ex fama leviter recepta.

Confirmantur rumores ab auctoritate, & gravitate eorum, e quibus emanarunt, & a communi opinione, quæ vero fundamento nitatur oportet.

De Quæſtionibus.

QUæſtiones ſunt cruciatus, quibus vi ad ſceleris confeſſionem adiguntur. Harum duo ſunt genera, gravium ſcilicet, & levium. Graves eæ dicuntur, in quibus horrenda adhibentur tormenta, ut ſunt nodoſæ funiculæ fronti, & temporibus adſtrictæ: taxilli, quibus digiti comprimuntur, equuleus, quo oſſium diſtenduntur commiſſuræ, velum in faucibus immiſſum, & cetera hujuſmodi.

Leves continent blanditias, vinum, preces, & præmia.

1. A quæſtionibus confirmari cauſæ poſſunt ex ipſa tormentorum vi, dicendo ſceleſtos homines, qui ut plurimum molles, & ignavi ſunt, tortorum duritiam non facile ſubſtinere, ſuaque conſcientia adductos vel ad tormentorum aſpectum ea, quæ admiſerunt, fateri; Quare ſi quis quidpiam tunc faſſus ſit, in illo veritas ipſa videtur loquuta, ut loquitur Cic. Top. n. 74.
2. Si quis poſt quæſtionem in veritate manſerit, & eam confitendo perſeveraverit, creditur illud firmiſſimum.
3. Si innocens a quæſtione adduci nequivit, ut contra veritatem crimen fateretur, Orator tum dicendo triumphabit. Sic de muliere ſepties icta D. Hyeron. & Minutius Felix in Octavio, a conſtantia Martyrum in cruciatibus Fidei noſtræ veritatem exaltat his verbis: *Quam pulcrum Dei ſpectaculum*, *quan-*

quando Chriſtianus cum dolore congreditur. Cum adverſus minas per ſupplicia componitur; cum ſtrepitum mortis, & terrorem carnificis irridens inſultat: Cum libertatem ſuam inter Reges, & Principes erigit: ſoli Deo, cujus eſt, cedit: Cum truimphator, & victor ipſi ſecundum ſe ſententiam dixit, inſultat; Vicit enim, quidquid obtinuit.

Quæſtiones infirmantur, monendo judices, quod qui confeſſus fuerit, victus impatientia doloris, mendacio ſe a cruciatu liberare voluerit aſſerendo cauſam eam non eſſe, qua reus potuerit tormentis torqueri; qua in re examinare opus erit circumſtantias; Nam ſi invenietur aliquid contra jus, & leges factum fuiſſe, utique quæſtionem evertet Orator.

Si quæſtio a dicto Oratore poſcatur, ea autem ab adverſario negetur, ejus negationem ad criminis ſuſpicionem poterit detorquere.

Tandem infirmabit, demonſtrando, quæ dicta in tormentis ſunt, vel poſt tormenta confirmata non fuiſſe, vel ambigua eſſe, non firma.

Eſſet hic aliquid dicendum de Symbolis, proverbiis, & ænigmatibus, a quibus etiam Orationis ſplendor, & utilitas. Sed ne ultra quam brevitas poſtulat, laxiores ſimus; ideo ſatis erit ſi vos admonitos eſſe velimus, hæc tria quoque inter humana contineri teſtimonia, eaque habere locum tamquam extrinſecæ probationis tum ad ornatum, tum ad argumentum in oratorio ſermone; ſatis inquam erit, quoniam de illis in poeſi plura dicenda ſunt.

LIBER TERTIUS.

De Argumentatione.

ARgumenta eodem modo, quo ſuperius docuimus ſunt veluti gladius in vagina, nec unquam voluntatem expugnabunt auditorum, niſi media arte educantur, & per amplificationem extenta, in animos, menteſque vibrentur. Ut igitur eam tractare poſſitis, quo par eſt artificio, vobis proponuntur argumentationis præcepta, quæ tota verſantur in aſſignandis ordine, & methodo, quibus argumenta ſunt diſponenda.

Eſt igitur amplificatio, & argumentatio juxta mentem Cic. *argumenti explicatio*. Dividitur in ſylogiſmum, & inductionem, quæ ſunt tamquam duæ præcipue partes, ad quas ceteræ argumentationis ſpecies facile revocantur; ſed antequam de ſingulis differamus, aliqua ſunt obſervanda, quibus optime argumentari dignoſcamus.

1. Quæ in argumentatione adhibentur, aut certa ſint, aut probabilia, vel veriſimilia.
2. Argumenta non ex omnibus locis eruantur, ſed ex iis tantum, qui magis cauſæ favent.
3. Argumenta non eodem ordine diſtribuantur, nec temere in oratione ſpargantur, ſed ea arte certis locis collocentur; ut quem ordinem in cauſa diſponenda orator ſervaverit, idem in argumentatione ſervetur; & validiſſima principio, & fine ponantur: in medio ſermone infirmiora, niſi forte levia quædam ad vellicandum adverſarium in principio quoque apponenda videantur. Verum cum variæ cauſæ variis modis tractandæ ſint, hæc diſpoſitio potius eſt Oratoris prudentiæ, quam artis præceptum.
4. Quæ valida ſunt, argumenta, ſeorſum ut plurimum, fuſe, & aperte tractanda ſunt, maximoque im-

impetu in hoſtem vibranda, hoc eſt, poſt rem bene explicatam totius argumenti complexio per amplificationem in adverſarium intorquenda; quæ vero ſunt minus firma, conglobatim plerumque proponenda ſunt.

5. Argumentorum ordo debita forma varietur, gravia topica efferantur. Argumentorum vis verborum vi roboretur, graviaque argumenta gravibus tractentur figuris, ut ſunt Hypotipoſis, æthopejæ, proſopopæjæ, & ceteræ; levia vero levibus, ut ſunt præteritiones, interrogationes, & hujuſmodi.

De Sylogiſmo.

SYlogiſmus eſt *cum argumenti loco affertur ratio quædam communis, ad probandum idonea*. Sylogiſmi plures ſunt ſpecies, quarum prima eſt

1. Ratiocinatio, cujus partes tres ſunt apud philoſophos: apud oratores quinque; quarum prima propoſitio, altera propoſitionis ratio, tertia aſſumptio, quarta ejuſdem ratio, quinta concluſio. Probandum ſit e. g. abhorrendum hominibus eſſe a voluptatibus, quærenda primo eſt ratio, quæ id perſuadeat; & quidem ex locis communibus, nempe a genere, & hoc eſt malum, cujus ſpecies eſt voluptas, &, mox ratiocinatio intexenda. Quod ſi philoſophice tractari debeat in tres propoſitiones nude, & ſtrictim diſponetur hac methodo:

   Omne malum eſt fugiendum,
   Voluptas eſt mala;
   Ergo voluptas eſt fugienda.

   Sit autem oratorio ornatu verborum, & figurarum ſupellectili in quinque propoſitiones fuſe, & abunde explicanda hoc pacto.

Propoſitio.

SUadet ratio, docet natura, malorum fontes indeguſtatos declinandos eſſe.

Propoſitionis ratio.

NOſtra enim voluptatis libido in eos ita effrænate pellicitur, ut vix mentis conſilium ſuis ſe poſſit retrahere habenis; cum potiſſimum compertum omnibus ſit, nullo ne quidem brevi temporis intervallo tranquille vivere poſſe, qui venenata delibat hæc pocula, e quibus veluti e vaſe Circeo omnium malorum peſtes, omnium calamitatum fontes humana in corpora, animoſque proſiliunt.

Aſſumptio.

AT vero quid ſerius, quid moleſtius, quid voluptate damnoſius? Ipſa ut blandus dæmon, ut dulce venenum, ut ſuave peccatum adeo ſenſibus adblanditur, ut ſuis illecebris noſtri pectoris penetralia irrepens, tigris cruenta animum, mentemque noſtram caſu miſerando dilaniet.

Aſſumptionis ratio.

TEſtemini vos inſani mortales, qui effrænatæ voluntatis laxati habenis, noctes, dieſque fædiſſima in voluptate laxamini: teſtemini vos adoleſcentes voluptuarii, qui veſtra mollitie jam fracti, vitam vivendo non vivitis, ſed duriſſimam protrahitis mortem; nonne a voluptate tamquam a flagitiorum mare omnia promanant mala. O triſtis voluptatis conditio! Voluptas eſt funeſtus mortis artifex, ſceleris architecta, impietatis ſentina, libidinum fomes, vitiorum municipium. Illa eſt fax feralis, quæ tetra fumi, flamma-

ma-

marumque volumina evomens, adoleſcentum mentes ita obnubilat, & incendit, ut denigrato innocentiæ candore divina virtutis ſemina ſterileſcant in animo. Illa tandem teterrimum monſtrum eſt, quod ex inferorum clauſtris egreſſum, ſeptemplicis oris immaniſſimo hiatu cerbeream eructat ſpumam, quæ hominum animos lethaliter inficit, & ſuis miſerrime ſuffocat amplexibus. O utinam mortales hoſtis tam venefici verſutias agnoſcerent, & pocula ita mortifera horrerent? O utinam Chriſtiana Reſpublica peſtem tam nefariam ſuo non foveret in ſinu: neque enim tot proditiones, tot cædes, tot calamitates, tot ſcelera obortis reſpiceret lacrymis.

Concluſio:

Vide igitur vaniſſime adoleſcens, quam ſollicite teterrimam voluptatem fugias oportet; Angelico rationis munere donavit te Deus, ut nihil tam eſſe humanæ vitæ inimicum, quam voluptatem dignoſceres; dominante enim libidine, nullus omnino eſt temperantiæ locus, nec in voluptatis imperio poteſt virtus imperare, unde Sapienter Poeta:

Sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas.

Si fuſius explicare velitis, addere poteritis in aſſumptionis probatione exempla, ſimilitudines, contraria, & plura petita a locis communibus.

De Enthimemate.

HÆC ſecunda forma argumentationis definitur *imperfectus ſylogiſmus, ſeu diminuta Ratiocinatio, quæ ex una conſtat propoſitione, & concluſione*, & hac ſecunda forma frequentius, quam ſylogiſmo Oratores uti ſolent. Nam quoties theſis omittitur, & hypotheſis una explicatur, toties pæne exulat Sylogiſmus, regnat

gnat Enthimema. Dicitur autem ſylogiſmus imperfectus, quatenus deeſt illi prædicta theſis, quæ ideo omittitur, quia non cenſetur neceſſaria, ut afferatur. Sit e. g. probandum: Sapientem virum nullum pro patria periculum ſubterfugere, ita Enthimema fiet. Sapiens non ſibi tantum, ſed multo potius etiam patriæ natum ſe putat; Ergo nullum ei pro Patria periculum eſt fugiendum. Et Cicero Philip. 5. n. 3. ſic Antonium per hanc argumentationem punctim, cæſimque ferit. *Pacem Antonius? Arma ponat, & deprecetur. Nihil eſt profecto, quod dari poſſit bellum gerenti: erit fortaſſe aliquid, quod concedi poſſit roganti.*

De Collectione.

COllectio hoc modo diſponitur, proponenda eſt primo probanda propoſitio, deinde ſubijcienda ratio, poſtremo rationis confirmatio, petita ex locis communibus, & ornata ſermocinationibus, ſimilitudinibus, & aliis Rhetoricæ luminibus, poſtque iterum educi poteſt concluſio. Sit probandum e. g. Gloriam ex labore comparandam adoleſcentibus: ita proferri poteſt collectio. Juventuti nihil magis conducere ad gloriam exiſtimo, quam indefeſſum laborem; hac etenim lege quiſque hominum prodit in lucem, ut gloriæ meſſe ditari minime valeat, ſi animi culturam negligat ſui. Quæ ars, quæ liberalis diſciplina, ex quibus gloriæ plurimum profluit, labore unquam vacavit? nulla omnino, ſive enim Palladem, ſive Minervam ſequaris, ex omni parte æque imminet labor.

An uſquam otioſos immortali laude donatos offendiſtis? nunquam prorſus; nam ſi ubertate fructuum ii ſoli abundant agri, qui vomeris cædentis injurias conſueverunt perferre, ita laudis præmia adepti tantum ſunt illi, quos laboris aſſidui nunquam pertæſum eſt. Per hunc callem laboris Cæſares, Alexandri, Demoſtenes, Tullii, innumerique Heroes alii, ad immor-

mortalitatis faſtigia altius pervenere. Vultis ergo glorioſam juventutem? aſſiduis laboribus exercete.

De Sorite.

SOrites eſt argumentatio, *quæ multas argumentationes gradatim, & coacervatim involuit, & quibuſdam veluti gradibus ad concluſionem deſcendit*. Temiſtocles utebatur hac argumentationis ſpecie, cum filium ſuum Græciæ univerſæ imperare contenderet, & ad animi oblectamentum argumentabatur hoc pacto. *Filius meus matri imperat, illa mihi, ego Athenienſibus, Athenienſes toti Græciæ, ergo & filius meus toti Græciæ*.

Simili modo probari poteſt ex otio, omnia mala promanare. Otium corrumpit mores, corruptio morum generat improbitatem, improbitas omnia mala. Ergo ex otio omia mala promanant &c.

Duo circa Soritem monenda ſunt.

Cavendum, ne inde cum aliquid non legitimum, aut minus conſequens admittatur; alioquin ex parvo errore tota corruet argumentatio. Exemplum ſpurcæ argumentationis eſt, quod ſequitur:

Qui bene bibit, bene dormit:
Qui bene dormit, non peccat:
Qui non peccat Sanctus eſt;
Ergo ut Sanctus ſis: bene bibas.

Error eſt in ea propoſitione, qui bene dormit, non peccat; nam bene dormire, in eo loco duplicem habet ſignificationem, ibique proprie ſignificat profunde dormire ex ebrietate, quod quidem ſanctitati repugnat.

2. Sorites, quæ aptiſſima eſt ad amplificationem concluſionis rebus antea diligenter probatis, in unam velut catenam multas coacervabit argumentationes. Tandem, ut ſit apta Sorites, uti poſſumus vel ſubmiſſionis, vel gradationis artificio.

De Submiſſione.

SUbmiſſio eſt *argumentatio, in qua nos ipſi rationem petimus, cur quidquam dicamus*, quod certe ſolet fieri his præcipue formulis, quid ita? Cur? Quare hoc? Quæ cauſa illius rei? Quid igitur? Cic. ad Hort. lib. 4. *Bene majores noſtri hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepiſſent, vita privaſſent. Quid ita? Quia quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paulo ante in ampliſſimo ſtatu collocarat.*

In hac argumentatione vitandæ ſunt ineptæ interrogationes, iiſque acute, & graviter reſpondendum pro rei opportunitate.

Submiſſio cum Sorite miſcetur, ſi petitiones, & reſponſiones per quoſdam veluti gradus connectantur.

De Enthimemate compoſito.

COmpoſitum Enthimema *illud eſt, quo plures propoſitiones, & rationes ſimul conglobantur, e quibus una duntaxat colligitur concluſio, vel in quo ex una propoſitione plures concluſiones eliciuntur*; quod pluribus modis fieri poteſt pro cujuſque ingenio. Exemplum eſſe poteſt hujuſmodi. Quæris cur hic ſe voluptatibus abſtineat? Studet innocentiæ, quam voluptates contaminant. Studet animi tranquillitatem, quam perturbant. Studet æternæ felicitati, qua molles, & effæminati ſpoliantur.

De Subjectione.

SUbjectio, eſt *argumentatio, in qua quærimus quid pro adverſario, vel contra nos dici poſſit, deinde per ſingulas interrogationes continuo rationem ſubiicimus,*

qua

qua id quod dictum eſt falſum eſſe contendimus. Cic. pro Quinctio. *Appellandi tempus non erat? At tecum anno plus vixit. In Gallia agi non potuit? At & in provincia jus dicebatur, & Romæ judicia fiebant.*

De Violatione.

Violatio *eſt argumentatio, in qua utimur rationibus adverſariorum contra adverſarios.*

Violationis duplex eſt forma; altera cum adverſarium ſecum pugnare oſtendimus: altera, cum rationes adverſarii in eum ipſum detorquemus.

Exemplum ſecundæ formæ eſſe poteſt, quod ſequitur: *Quid dictitas, abdomini tuo, ventrique natus Calvine, jejunum ab orbe amandandum, quia ſatis, ſuperque cauſa noſtra Chriſtus jejunavit? immo vero maxime jejunandum, quod jejunii magiſter, & auctor Chriſtus eſſe voluerit.* Primæ formæ poteſt eſſe contra Stoicos, qui ſe beatos dictitant, dum ſtipem quæritant, hoc pacto. *Si dives es; cur divitum obſides limina? Si nullius eges; cur ſtipem quæritas? ſi beatus poſſides omnia; cur fame peris?*

De Oppoſitione.

Oppoſitio eſt *argumentatio, in qua affertur aliquid propoſitioni contrarium*. Ut quis e. g. probaret inſiſtendum bonis operibus, quia mors dubia eſt; ſic per oppoſitionem ratiocinaretur. *Si mors non impenderet nobis, aliquis ſecuritati, ac quieti locus eſſe poſſet; nunc autem cum breviſſimum tempus nos urgeat, quis non arbitretur, enitendum nobis eſſe, ut Dei favorem bonis operibus conſequamur.*

De Dilemmate.

Dilemma eſt *ratiocinatio in duas partes diviſa, quarum utraque ferit adverſarium, ut quam partem*

con-

conceſſerit, una vel altera ſemper reprehendatur. Cic. hoc argumento probat non eſſe mittendos ad Antonium legatos, ejus verba ſunt hæc Philip. 5. *Legatos decernitis, ſi ut deprecentur, contemnet; ſi, ut imperent, non audierit.*

Duplici modo dirui poterit dilemma.

1. Cum utraque pars dilemmatis invertitur, Rex Antigonus cum a fratre peteretur ut cauſa, quam habebat, non in foro, ſed domi cognoſceretur, hoc dilemmate reſpondit; *Si cauſam habes injuſtam, cur litigas? Si juſtam, cur hominum aſpectum fugis?* Hoc argumentum dirui poterat inverſa utraque parte hoc pacto; *Si juſta eſt, melius, & facilius domi cognoſcetur: Si injuſta minorem infamiam privatim ſubibo, quam publice.*
2. Cum una ex duabus partibus confirmatur tantum, Herus quidam, qui Servum percuteret, hoc ſtringi poſſet dilemmate: *Servus, vel probus eſt, vel improbus: Si probus, cur percutis?* Si improbus, *cur ejus uteris opera?* Cui Herus reſpondere poſſet, altera duntaxat parte infirmata hoc modo: *Non percutio quia probus, ſed quia improbus, ut probo uti poſſim.*

Adverte quod dilemma conſtare debet duabus propoſitionibus contrariis, ſeu neceſſariis, ſecus fruſtraneum eſt, nulliuſque roboris ad concludendum. Huc referuntur callidæ interrogationes, quas vocant Crocodilos, & quibus homines imperiti circumveniri, ac decipi ſolent. Exemplum peti poteſt ex ea fabula, quæ eiſdem nomen dedit. Crocodilus quidam rapto viduæ filio, ſic cum ea collocutus eſt; Reddam tibi filium, ſi verum dixeris: Reſponde igitur; utrum tibi ſit redditurus, nec ne? Negavit illa, fore ut redderet, & ob eam cauſam debere reddi, quod verum dixiſſet; cui

Cro-

Crocodilus, non reddam, inquit, ſi enim reddidero, non verum eris locuta; Sin me redditurum dixeris, falſum dices; non enim certo reddam.

Huc revocantur mentientes propoſitiones, quæ ſe ipſas negant; vel ſi ſe includunt, falſum affirmant. Cretenſis quidam ajebat: Cretenſes omnes mendaces ſunt; hæc eſt propoſitio mendax; nam vel ipſe mendax, qui Cretenſis eſt, vel non omnes Cretenſes mendaces.

De Inductione.

INductio eſt *argumentatio, quæ ex ſingularibus ad univerſalia progrediens aliquid commune colligit.*

Inductionis quatuor ſunt ſpecies; prima eſt ab enumeratione partium: ſecunda a ſimili, vel diſſimili: tertia ab exemplo: quarta ab auctoritate.

Inductio a partium enumeratione fit quatuor modis.

1. Cum ex ſingulis diſtributionis membris aliquid per iſocola colligitur. Cic. Philip. 14. *Sed quoniam P. C. Gloriæ munus optimis, ac fortiſſimus civibus monumenti honore perſolvitur, conſolemur eorum proximos, quibus optima eſt hæc conſolatio: parentibus, quod tanta Reipublicæ præſidia genuerunt, liberis, quod habebunt domeſtica exempla virtutis; conjugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare, quam lugere præſtabit; fratribus, quod in ſe, ut corporum, ſic virtutum ſimilitudinem eſſe confident.*

Sed hæc ſpecies diſtributionis plus valet ad amplificandum, & ornandum, quam ad probandum.

2. Cum diſtributio fit per aculeatas interrogationes.

3. Cum præter interrogationem Anthitheſi etiam ornatur.

4. Cum per congeriem interrogatione vibratam; quarum rerum exempla ex oratoribus peti poſſunt, nos enim omittimus ea, ut brevitatem ſectemur.

Similium inductio fit cum pluribus ſimilibus inductis

ctis propoſitio confirmatur, ad quam ſatis eſt aliqua ſimilia colligere.

Diſſimilibus etiam aliquando conſtat inductio, quibus contraria propoſitio & probatur, & illuſtratur.

Exemplorum inductio permulta paucis coacervat. Auctoritatum inductio auctoritate alicujus hominis rem confirmat, vel infirmat. Exempla non afferuntur, cum per ſe pateat argumentatio, & ſine exemplis facile intelligi poſſit; ea vobis occurrent paſſim apud Oratores.

De Uſu variandæ argumentationis.

QUemadmodum in omnibus rebus neceſſaria eſt ad venuſtatem varietas, in argumentatione potiſſimum ea deſideratur, cum ſimilitudo ſatietatem pariat, non delectationem.

Hæc autem quatuor potiſſimum rebus abſolvi poteſt.

1. Ut in oratione commode diſponantur argumenta, & in optimum ordinem adducantur.
2. Ut varietas quæratur in argumentationibus, variiſque ejuſdem formis utamur.
3. Ut figuris perpoliatur.
4. Ut cum erit injuncta argumentandi varietas, tranſitionibus, & artificioſo nexu illæ ſpecies, atque formæ illigentur.

De Amplificatione.

CUm ex mente Socratis Rhetorica *Ars ſit, qua ex magnis parva, ex parvis magna fieri poſſunt*, facile perſpici poteſt, potiorem Rhetoricæ partem Ampli-

plificationem eſſe, cujus præcipuum munus eſt, ut minuere, ita res augere.

Eſt igitur amplificatio juxta Cic. *gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem*.

Additur ab Oratore in hac definitione verbum illud *fidem*, non quod eamdem cum argumentatione, cujus eſt facere fidem, faciat amplificatio; ſed ut oſtendat ad faciendam fidem, adjuvari plurimum argumentationem amplificatione; Argumentatio etenim ſimplici rationis expoſitione fidem conciliat; amplificatio ſubtiliter enucleando ſingula, lucem rebus addit. Illa ſtilo conciſo ſua explicat argumenta: iſta ſententiarum pondere, orationis ubertate, ambitus magnitudine, & ingenti quadam vi comprehenſionis eadem impellit. Itaque tribus rebus ab argumentatione diſcrepat amplificatio: materia ſcilicet, tractatione, & fine.

Materia quidem: nam argumentatio adhibetur ad omnia quæſtionum genera; amplificatio non niſi ad magnas, graveſque cauſas, in quibus debeat oſtendere orator aliquid eſſe calamitoſum, indignum, lætum, triſte, miſerabile, amabile, deteſtabile, formidandum, optandum, fugiendum.

Tractatione; nam argumentatio preſſe, & argute proponit; amplificatio fuſe, & graviter exponit. Illa ad pugnam leviter procurrit, factaque plaga confeſtim ſe ſubducit; iſta in apertum, ac patentem campum procedit, tela, & tormenta omnia excutit, donec fatigatus hoſtis, & pene fractus concidat.

Fine; nam finis argumentationis eſt cognitio; amplificationis motus; quare hæc non adhibetur, niſi cum perſpecta rei veritate, dignitas, amplitudo, gravitas, aut contra indignitas, vel atrocitas per motum eſt demonſtranda ſervit tamen & fidei faciendæ; quod ubi motus fuerit auditor, multo firmius rebus creditis adhæreſcat, quam antequam moveretur.

Exemplum aliquod a Cic. petitum clarius illuſtrabit, quæ hucuſque de amplificatione locuti ſumus. Qui igi-

tur diceret ejiciendum a Republica Antonium, illum per argumentationem patriæ diceret proditorem; Tullius vero ita eum per amplificationem urget, & confligit Philippica 3. *Hanc vero teterrimam Belluam quis ferre poſſet, aut quomodo? Quid eſt in Antonio præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam, ex his totus conglutinatus eſt; nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Quapropter, quoniam res in id diſcrimen adducta eſt; utrum ille pœnas Reipublicæ luat, an nos ſerviamus; aliquando per Deos immortales P.C. patrium animum, virtutemque capiamus; ut aut libertatem propriam Romani generis, & nominis recuperemus, aut mortem ſervituti anteponamus. Multa quæ in libera Civitate ferenda non eſſent, tulimus, & perpeſſi ſumus, alii ſæpe recuperandæ libertatis; alii vivendi nimia cupiditate; ſed ſi illa tulimus, quæ nos neceſſitas ferre coegit; quæ vis quædam pene fatalis; quæ tamen ipſa non tulimus; etiam ne hujus impuri Patronis referemus teterrimum, crudeliſſimumque dominatum? Quid hic faciat; ſi potuerit, iratus, qui cum ſuccenſere nemini poſſet, omnibus bonis fuerit inimicus? Quid hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoriam, tanta ſcelera poſt Cæſaris interitum fecerit? refertam ejus domum exhauſerit, hortos compilarit, ad ſe omnia ex his ornamenta tranſtulerit, cædis, & incendiorum cauſam quæſierit ex funere. Et ea quam plurima, quæ in hoc loco videre poteritis.*

Quæ res amplificationem admittant, quæque ſint ejus ſedes in oratione.

RErum, quæ in ſermonem cadere poſſunt, aliæ graves ſunt, aliæ exiles, aliæ mediæ; quod graves amplificationem admittant, ex dictis ſatis colligi poteſt. Quæ ſunt mediæ magnam oratoris operam requi-

quirunt, ut amplificationem recipere poſſint; in exilibus vero nihil eſt, cur allaboremus, ut amplificatione illuſtrentur; oleum enim perdemus, & operam.

Locus amplificationis in oratione proprius eſt peroratio, in qua confertim opargit, quæ ſigillatim emiſerat; & licet inter argumenta ſingula ſpargenda ſint amplificationis ſemina; tamen ubi ad extremum orationis ventum ſit, ea omnia recolligi ſolent; ut vehementioribus affectibus in fine motus auditor, palmam oratori cedat, ac victoriam.

Unde ſumantur amplificationes.

Duplici ex fonte profluit in oratione amplificatio, ex verbis ſcilicet, & rebus. Verba, quæ amplificationi deſerviunt ea ſunt, quæ illuſtria dicuntur; de quibus multa ſatis diximus in exordiis hujuſce noſtræ præceptionis. Illuc vos remitto.

Amplificandæ autem rei 4. fontes aperuit Quinct. Incrementum ſcilicet, comparationem, rationem, conriem.

Congeries duplex eſt, una verborum, da que plura admodum diximus, altera ſententiarum, in qua ſententiæ plures ejuſdem ſignificationis componuntur; cujus uſus triplex eſt; vel ut iis, quæ minus apta ſunt, lucis aliquid afferamus, priora poſterioribus explicando; vel ut orationem pleniorem, & modulatiorem, expleto numero, reddamus; vel ut inſtandi, honorandi, vel exprobandi criminis cauſa exagerationem aliquam faciamus. Qua in re cavendum maxime eſt, ne multis verbis quamlibet ſententiam pueriliter oneremus; videndumque, ut poſteriores ſententiæ, vel aliquid lucis prioribus afferant, vel plus acrimoniæ contineant, incendantque vehementius orationem.

Quæ uſque diximus, non ſatis explicarunt ad propoſitum quid ſit rerum congeries; ne igitur quidquam omittamus. Rerum congeries eſt, cum ad inſtandum,

augendumque, a nobis variæ actiones, reſque enumerantur & in unum quaſi acervum congeruntur, ſublatis aliquando conjunctionibus, ut acrius inſtemus.

Adhibetur, cum incaleſcit oratio ad amplificandum, quæ bene, quæ male geſta ſunt. Multæ enim virtutes ſimul collatæ admirationem, & amorem, plurima vero vitia faſtidium & odium conciliant.

Congeries adeſt etiam definitionum, partium, cauſarum, effectorum, concomitantium, & conſequentium, contrariorum, & adjunctorum. Quæ definitionum eſt, naturam rei explicat, vel per partes, vel per cauſas, vel per effecta, vel per adjuncta, ſive accidentia, vel per ſimilia, vel per negationem.

Exempla omittuntur, ne paulo fuſiores ſimus, quam par eſt.

Incrementum alter vi amplificandæ modus fit, cum per gradus creſcit oratio, & ad ſummum pervenit.

Differt a congerie, quod hæc coacervat multas ſententias, & voces; In incremento ſemper creſcit oratio. Hoc fit duobus modis.

Primus eſt, cum citra diſtinctionem graduum, in ipſo contextu, & curſu orationis, ſemper aliquid priore majus inſequitur. Cic. pro S. R. Am. *Petimus a vobis Judices, ut quam acerrime maleficia vindicetis; ut quam fortiſſimi hominibus audaciſſimis reſiſtatis, ut hoc cogitetis, niſi in hac cauſa, qui veſter animus ſit, oſtendetis, eo prorumpere omnium cupiditatem, & ſcelus, & audaciam; ut non modo clam; verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes veſtros, judices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint.*

Secundus, cum ſingulos gradus dividimus, & in ſingulis commoramur; & tunc ea, quæ minora ſunt, magna facimus, ut quod ultimo loco ponitur maximum eſſe videatur. Si velis ergo martyris alicujus fortitudinem efferre, per ſingulos fortitudinis gradus ab imo ad ſummum aſſurgas. Huc pertinet illud amplificandi genus, quod dicitur extenuatio, quæ ſuperiori oppoſita, fit, cum præcedentia, quæ vere maxima

ſunt,

& videntur, omnibus elevamus; ut quod ſequitur, minus appareat.

Ratiocinatio fit cum ut aliud creſcat aliud augetur; unde ad id quod extolli volumus, ratio deducitur. Ut ſi quis Annibalis virtutem amplificet, ut major gloria Scipionis, quicum debellavit, eluceat.

Comparatio diverſa inter ſe, & majora cum minoribus comparat; non eo tantum, ut rem probet; ſed ut exageret, & majorem vim faciat, ut ſi quis obedientiam Chriſti cum illa Abrami conferat, ut alterius præſtantia magis emineat. Vel ſi qui amplificandum aſſumeret alterius calamitatem, eam comparare deberet cum priſtina illius calamitate, vel cum aliis calamitatibus, ut oſtenderet hanc eſſe graviorem.

Notandum in hujuſmodi comparationibus, utriuſque partis circumſtantias, quæ rem augere poſſunt, diligenter eſſe excutiendas, neque ſolum virum cum viro, factum cum facto, rem cum re; ſed partes etiam ſingulas cum aliis partibus eſſe componendas. Cic. pro Dom. ſua Caſſium Cenſorem cum Clodio comparat his verbis. *Quæſo Pontifices, & hominem cum homine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparetis. Ille erat ſumma modeſtia, & gravitate Cenſor: hic tribunus plebis ſcelere, & audacia ſingulari: tempus illud erat tranquillum, & in libertate populi, & gubernatione poſitum Senatus: tuum porro tempus libertate populi Romani oppreſſa, Senatus auctoritate deleta: res illa plena juſtitiæ, ſapientiæ, dignitatis; Cenſor enim &c.* & cetera quamplurima ſequuntur &c.

Quod dictum eſt de exemplo, dicitur de illuſtri quadam ſimilitudine, qua res interdum vilis multo fit magnificentior. Qua in re advertendum eſt, ne rem propoſitam ita ſuperet ſimilitudo, ut convenire cum ea pulchre non poſſit. Sed quoniam nihil in oratione erit decorum, quod ſuis non illuſtretur figuris, in eadem nonnullas ſibi peculiares, & proprias expoſcit amplificatio. Ædem ſunt hypotipoſis, proſopopæja, exclama-

tio, optatio, imprecatio, commonitio, & aliæ ſimiles, quæ motum faciant.

De Affectibus.

Affectus illi ſunt, *quorum vi ſic auditorum animi, voluntateſque mutantur, ut aliud, quam ante de rebus propoſitis judicium ferant*. Secundum alios *affectus eſt animi quidam impetus, quo ad appetendum, averſandumque aliquid vehementius, quam pro quieto mentis ſtatu, impellimur*. Alii vero ita definiunt: *Affectus eſt animi ſentientis ex alicujus rei bonæ, vel malæ opinione rata commotio*.

In his permovendis totus eſſe debet orator, ut enim ex definitionibus patet, auditorum animos, nunquam ille triumphabit, etſi validiſſimas afferat probationes, niſi motum faciat. Unde inquit Fabius: *Probationes efficiunt ſane, ut cauſam noſtram meliorem eſſe Judices putent: affectus præſtant, ut etiam velint. Sed id, quod volunt, credunt quoque; nam cum Judex fuerit occupatus affectibus, omnem inquirendæ veritatis rationem amittit*.

Antequam vero numerum affectuum ſtatuamus, & de ſingulis diſſeramus, opportunum erit præmittere, quæ in hac re de ſe ipſe præſtare debet orator.

Motum excitaturus ille debet eſſe, vel ſaltem ſe fingere, iiſdem affectibus incitatum, quos parat in aliis movere. Prudens ſit, ut tempori inſerviat; in dicendo acer ſit, nervoſus, diſertus, voce plenus. Præterea conſideret, apud quos dicat, & quibus moribus informati auditores ſint; qua educatione inſtituti; quibus opinionibus imbuti, & quibus rebus moveantur, an pietate, an ira, an odio, an amore, & hujuſmodi, quarum rerum conjecturæ colligi poſſunt ex qualibet cujuſque natione, ex corporis ſtructura, & temperie, & tandem ex iis, quæ de auditoribus prædicet fama. Cujus rei occaſione obſervandum, quod docti homines reſ-

Digitized by Google

reſpuunt molles affectus, ac dolore incenſos, quos tamen admittunt ſimplices. Apud feros, & agreſtes opus eſt lateribus firmis, voce truci, iracunda, & formidabili; in curia riſus ſit vividus, & acer.

Ut igitur ad pertractandos deſcendamus affectus, omiſſis variis illorum diviſionibus, quas varias varii auctores aſſignant, hos tantum placuit enumerare, & ſunt, qui ſequuntur.

Amor	Odium
Deſiderium	Fuga
Gaudium	Dolor
Spes	Deſperatio
Metus	Audacia
Ira	Manſuetudo
Miſericordia	Indignatio
Invidia	Æmulatio
Pudor	Gratia

De Amore.

AMor definitur ab Ariſt. 20. Rhet. cap. 4. *Affectus, quo volumus alteri, quæ bona ſunt, idque ejus, qui diligitur, non noſtri cauſa, & in illis rebus comparandis pro virili elaboramus.*

Amor multiplex eſt, Divinus, Angelicus, intellectualis, animalis, & naturalis.

Amor Divinus eſt, *quo Deus omnia creavit, tuetur & ſubſtentat, ſine quo nec ipſi Angeli vitam habere poſſunt.*

Angelicus eſt, *quo Angeli Deum amant, & illius imperio hominibus famulantur, & creata ſervant.*

Intellectualis eſt, *quo humana mens quæque bona, & honeſta deſiderat, & inquirit.*

Animalis eſt, *quo voluptuarii appetunt, & hic brutis quoque communis eſt.*

Naturalis eſt, *quo res ſe mutuo diligunt, ſibique naturalis dilectionis vinculo cohærent;* & hic dicitur etiam

Sympathia, cui opponitur Antypathia, qua res naturali odio ſe ſe expellunt. Hinc fiunt miranda illa naturæ arcana, ut magnes attrahat ferrum, Elitropium ſe vertat ad Solem, penna Aquilæ aliis admixta pennis, ab illis evolet, effugiatque.

Quia vero in tractandis affectibus oratoris eſt, eos aliquando excitare, aliquando reprimere, aliqua de ſingulis attingemus, quibus & ii excitentur, & ii reprimantur.

Amorem igitur excitant honeſtum, utile, jucundum.

Ad Honeſtum pertinent virtus, & probitas, vitæ æquitas, modeſta pulchritudo, comitas, & manſuetudo, innocens, & ſimplex urbanitas, conſtantia, fidelitas.

Ad utile ſpectant beneficia, grati animi ſignificatio, liberalitas, communicatio bonorum, & conſiliorum.

Ad jucundum revocantur amor ipſe, bonorum, & malorum communitas, morum, ſtudiorum, & periculorum ſimilitudo, fiducia, familiaris, & domeſtica conſuetudo, alienæ virtutis commendatio, injuriarum oblivio. Præterea amorem in aliquem conciliabis, ſi eum oſtenderis natura lenem, facilem, popularem, dignum, cui ſe credant alii, cui arcana ſua committant, apertum tandem, & candidum moribus.

Adverte quod in amore intellectuali excitando judicio, & prudentia opus eſt; quare eligendæ ſunt illæ res, quæ maxime argumento ſuſcepto conveniant.

Amor non ſolum excitatur illum commendando, ſed etiam deſcribendo; pro quo multiplices ejus vultus, variaque illius effecta enarranda ſunt. Nos igitur ut aliquid de illis dicamus, turpi amore dejecto, divinum educemus in medium, quem modo lacrymantem inducimus, modo extra ſenſum raptum, modo ſævientem in ſeſe, modo pauperem, modo divitem, modo flammarum inſtar ardentem, modo liquidi fluminis inſtar gaudio colliqueſcentem, modo velut pictorem, modo velut oratorem.

Non

Non eſt, cur reprimi debeat amor honeſtus; ſi tamen reprimendum aliquando arbitremur, idonea ſunt ea quæ in contrariam partem ſumi poſſunt ex iis, quæ illum excitant, & aliqua pariter, quæ amorem improbum reprimere poſſe dicemus. Reprimemus igitur amorem improbum, ſi oſtendemus vitia, & deformitatem rei, quæ male diligitur, ſi infamia ex illa redundet, ſi ſuſpicionem injiciamus amanti, aut perfidiæ, aut doli, aut frigidioris animi, aut injuriæ ex re amata profectæ: ſi adducamus amantem in deſperationem rei exoptatæ; ſi ponamus ob oculos nihil utilitatis, aut jucunditatis, ſed damni plurimum, ac moleſtiæ ineſſe rei, quæ diligitur: ſi affirmabimus puerilis eſſe naturæ, quem amamus, inconſtantem ſcilicet, erraticum; faſtidioſum: ſi dicemus miſeram ſervire ſervitutem, qui legibus amoris obſequitur; ſi tandem inſinuabimus peſſime in rebus fædis collocari temporis illud quod aliqui majori cum fructu voluptatis, & gloriæ conſumere poſſunt.

Amor, ſive ille bonus ſit, ſive malus, multiformis exprimi poteſt, ſive ut deſcribatur, ſive ut excitetur, ſive ut reprimatur; & primo amatæ rei ſibi ſemper reprehenſentat imaginem, habitum, inceſſum, motum; verba, geſtus, vultum, ſemperque eſt in pectore; & in rebus ipſis, quæ amantur; ſecundo imitatur omnia, quæ in amico intuetur: idem cum eo ſentit, idem loquitur: idem probat: dolet cum dolente, cum ridente ridet; negat cum negante; 3. ſocietate gaudet, ac præſentia amici, reditu gaudet, eoque abſente aſpernatur omnia, cibum, ſomnum &c. 4. in amicum liberaliter effundit omnia; 5. laudat, miratur, extollit facta, dicta, ſpeciem, & dignitatem; 6. audet viribus, mente agitatur, doloribus, & curis anxius, & inquietus eſt; 7. quæ ſtulta ſunt, & inepta facit, huc, & illuc volitat, has illaſque ineptias facit; 8. vigil eſt, & inſomnis; 9. modo loquax eſt, & garrulus, modo mutus; 10. timet non ſua ſed amici cauſa; 11. nihil arduum, aut difficile reputat, ſed pericula ſubit intrepidus,

dus, ſi quid forte aggrediendum ſit, rei amatæ cauſa 12. ſuſpicax eſt, & carnifice cordium Zelotypia agitari ſolet 13. ſui contemptor eſt, proque re amata ſuperbus, & magnanimus mortem negligit, & pericula quantumvis formidanda, immo etiam ſe ipſum 14. conſtans eſt, ac firmus in amicitia 15. ſtudia, exercitationeſque omnes obliviſcitur 16. ſui oſtentator eſt 17. blandus eſt erga amicum, contemptus vero ardet iracundia, exprobat vehementius, objicitque beneficia 18. ad lacrymas valde facilis eſt 19. deſperans eſt, & ubi deſinit ſperare, finem doloris eligit mortem.

De Odio.

QUemadmodum amor animi motus eſt, quo fertur in bonum, quatenus bonum eſt; ſic odium eſt *animi affectus, quo ſe avertit ab eo, quod malum eſt, vel certe malum exiſtimatur.*

Odium inflammant, quæ amori, & benevolentiæ adverſantur; quemadmodum virtutes, & eæ præcipuæ, quæ ſummam aliquam Reip. afferant cum utilitate dignitatem, vehemens ſunt incitamentum amoris; ita e contra ad inflammandum odium, admovent faces vitia omnia, & illa præſertim, ex quibus calamitates oriantur, tum in ſingulos, tum in Remp. univerſam. Verum, ne omnia generatim dicamus, præcipua capita proponamus, per quæ vis odii gravioris in animis exardeſcat.

Odium igitur inflammabunt 1. incommoda, ſeu jacturæ ſive futuræ ſint in animi dotibus, ſive in bonis corporis, ſive in fortunæ donis 2. calumniæ, quibus maxime læditur nominis exiſtimatio, atque hominum opinio 3. contemptus, quo non parva fit homini injuria, qui honoris retinens ſit. Ex hoc capite odium vehementius incaleſcet, ſi perſonæ, quæ injuriam intulit, ſpeciem indignam exprimemus; ſi virtutem, & dignitatem ejus, qui læſus eſt cum ſcelere, & indigni-

gnitate comparemus ejus, qui læſerit; ſi tandem utemur comparatione minorum, & colligemus exempla magnæ cujuſdam injuriæ, quæ cum hac improbitate collata, longe minor videatur. Quod etiam felicius præſtabit orator, ſi ſublimes quaſdam adhibebit figuras, Hypotipoſim præſertim, quæ injuriam ob oculos ponat, exclamationem, & Apoſtrophen, quæ acriorem faciant ſermonem.

Præterea ad inflammandum odium peridonea eſt vitiorum expoſitio, quæ in aliquo ſint, ut libidinis, audaciæ, & impudentiæ, injuſtitiæ, ſuperbiæ, crudelitatis, avaritiæ, animi ingrati, nimiæ potentiæ, & impietatis.

Odium reſtinguitur, ſi in animo exulcerato lætitiæ ſenſum aliquem ingeneremus, aut generoſum quemdam impetum ad magna, & honorifica incitemus. Sed ad particularia remedia deveniamus.

Odium igitur emollitur, ſi res lætas, ac proſpere fluentes proponas illi, quem ex hoſte amicum habere volueris.

Confert etiam plurimum ad ſedandum odium, quod orator ſciat, quibus de cauſis ſuſceptum fuerit, & quid ſit illud, quod oderit hoſtis in hoſte. Quare ſi vitioſum ſibi perſuadeat, delenda eſt hæc opinio ex ejus animo, ſed occulte, & quaſi aliud agendo; ita ut in principio ei aſſentiri videaris, & mox alterius laudes ſubjicias; Si odium proficiſcatur ex injuria illata, tum iſta minuenda erit; vel ſi qui læſerit in repentinam aliquam calamitatem irrepſerit, hæc erit deploranda, & fuſis lacrymis proſequenda. Poterit etiam oſtendi dolor, & pænitentia perſonæ illius, quæ læſerit.

Denique quoties odii cauſas ſuſtuleris, toties & abſolveris odium. Dicas in alium mutatum eſſe, qui in odium venerat, vel propinquum eſſe, aut neceſſarium, vel aliqua virtute nobilem factum, aut eruditione clariorem, & Reip. laboranti perquam utile, & neceſſarium.

Præterea odium deliniunt preces, & lacrymæ, quibus

bus hominum animi facile emolliuntur. Rurſus ſi dices, ipſum ſibi nocere, qui alterum odit, levia eſſe illa, quæ odii cauſa fuerint, ſapientem hominem dolere potius, quam odiſſe ſortem illius, qui cæcus animo, & voluntate deerrans, cauſam odii fecit; ad inclinatam, jacentemque fortunam, a florente, & erecta cecidiſſe illum, qui odio dignus ſit, odium facile remittes.

Ut autem ſciat Orator optime ſe gerere, tum in concitando, tum in deſcribendo odio, aliqua illius effecta enucleanda videntur. Odium igitur hoſti malum imprecatur; perniciem infert, & ulciſcitur; eam exprobat, quæ pudorem inferre poſſunt, conviciis impetit, minatur; aperte ſeſe odiſſe profitetur; ut crudelius noceat aliquando tegitur; ubi hoſti perniciem attulit, plenum lætitia triumphat; ut hoſti noceat, & ſibi nocere non reformidat; adeo crudele eſt, ut quaſcumque pœnas ſumat, leves ſemper ſibi videantur ſemperque acerbius aliquid excogitet; ita immortale, ut ad nepotes tranſire peroptet; ita inflexibile, ut in bonam partem neminem velit, ita præceps & furibundus, ut abeat in omnia ſcelera, & veneficia; aliquando indignatur, queritur, gemit, deſperat, ſi decidat a ſuis conatibus cum hoſti perniciem expetit: aliquando ſolatur vindictæ ſpe; alterius conſpectum, conſortiumque devitat, & execratur; importat denique omnia, quæ amori contraria ſunt.

De deſiderio, & fuga.

DEſiderium eſt *appetitus boni delectabilis, ſed abſentis*. Affectus iſte variis explicatur nominibus pro varietate rerum, quæ deſiderantur, nam auri deſiderium dicitur avaritia, honoris ambitio, voluptatis libido, inutilis ſcientiæ curioſitas & ſic de aliis. Cum autem tot, fere ſint hominum deſideria, quot homines, oratoris erit diligenter conſiderare quo cujuſque natura

ra maxime feratur. Apud mercatores lucrum, & utilitatem propones, apud imperatorem, & nobiles gloriam, & laudem, & apud alios alia, pro ut hominum, apud quos egeris, deſideria mutantur.

Fuga, quæ ex odio proficiſcitur, quemadmodum ex amore deſiderium, *affectus eſt, qui conatur recedere a malo illud fugiendo, ſeu deteſtando*. Orator in auditorum animis deſiderium accendet, ſi ea revolverit, quæ dicta ſunt de amore, fugam excitabit, ſi quæ de odio docuimus, mente recogitaverit. Ne autem omninò prætereamus, quæ ad exprimendos, reprimendoſque affectus hoſce pertinent, aliqua, quæ deſiderium tangunt, explicabimus, ut ex illis, quæ fugæ ſunt, facile colligere poſſis.

Deſiderium accendendum eſt, cum aliquem excitare volueris, vel ad optimum ſtatum capiendum, vel ad ardua quædam perficienda; & tunc ut affectum iſtum inflammes, rei præſtantiam, ac magnitudinem exprimas oportet; laudem, ac gloriam commemorare poteris, vel illius, quem adhortaris, vel illam, quæ ex re optime perfecta ſibi certe proveniat, ſpem eriges feliciter nanciſcendæ rei; demum proponere tibi licebit difficultates, reſque adverſas quæ obviæ eſſe poſſunt in tanta re, ſed adverte omittendum non eſſe majorem inde gloriam, & laudem fore naſcituram.

Ad coercendum deſiderium ea omnia percommoda ſunt, quæ de deſperatione dicentur inferius, illud tamen facile reſtringes, ſi probes haberi non poſſe illud, quod ab auditoribus expetitur; ſi damnum multiplex, & varium, ſi duram ex hoc deſiderio naſcituram ſervitutem deſcripſeris; ſi in cohibitione deſiderii poſitam eſſe vitæ felicitatem oſtenderis, ſi vilia eſſe, & inania, quæ appetantur, docueris; denique ſi bonum non eſſe, ſed tantum apparenter eſſe, quod deſideratur edixeris.

Quæ in deſiderio poſſunt deſiderari ad deſcriptionem illius, eadem ſunt quæ in amore; ſed quia affectus iſte ex bonitate rei deſideratæ voluptatem habet, ex abſentia

ſentia vero dolorem; præcipue illiu effecta ex iſtis naſcuntur: Qui igitur deſiderio, ac frequenti angitur rei concupitæ cogitatione, ſomnians habet ejusdem imaginem inter ſomnum excitatam, cum re deſiderata colloquitur, cum ſylvis, & rupibus, iiſque rebus omnibus, e quibus ſolatium ſperat: erumpit in ardentiora vota, querelas, & nuntios votorum ſuorum zefiros optat: teſtes quoque locos appellat; ad preces etiam humilis deſcendit, & obteſtatur; per quidquid rei amatæ gratum eſt: dolet ex abſentia rei exoptatæ, in ſuſpiria erumpit, tetroſque gemitus fædium rerum aliarum experit ur quæ minus jucundæ ſunt, macie conficitur; narrare ſolet ambitioſius quid vi deſiderii patiatur; ait ſe diu, noctuque in illis cogitationibus eſſe, vias, & veſtigia, & litora, & loca omnia relegere, ut aliquid dicere poſſit & audire, unde expectationis ſuæ fallat faſtidium, aſpirat, & anhelat in rem, quam expetit, moræ impatiens eſt, longiores ſibi videntur dies, & breviſſimum tempus annum putat; alas ſibi adder e vellet, ut ad rem amatam velocius accederet: vana, & impoſſibilia interdum deſiderat, nihil denique arduum, & difficile reputat, reperitque, dummodo optata re ſibi liceat frui.

De Gaudio, ſeu Lætitia.

LÆtitia eſt *opinio recens boni præſentis, in quo eſſerri rectum eſſe videatur: ſive ſenſus boni præſentis quatenus præſens eſt, cujus effectus eſt delectatio; hoc eſt tranquillitas animi in bono præſenti ſuaviter acquieſcentis.*

Ad concitandam lætitiam duo ſervare debet orator, ſtilum ſcilicet, & materiam.

Stilus is eſſe debet, ut perpetuam quamdam ſeu occultam voluptatem ingeneret; quare utetur Orator argumentis exquiſitis, novis, & ingenioſis; ſermo occultus ſit, & floridus, numerus ſuavis, & mollis; oratio

tio tota figurata, plena acutis ſententiis. Materia ea ſit oportet, ut in ipſa habeatur ratio geniorum, quibus aguntur auditores; & quia aliis alia placent, ea ſunt afferenda, quæ cuique ſunt in delitiis. Sunt tamen quædam, quæ in hominum animis communem habent ſenſum voluptatis, eaque ſunt commutatio malæ fortunæ in meliorem, comparatio propriæ cum aliena, bonum inſperatum, novitas, & inſolentia rei alicujus, conſcientia virtutis, & innocentiæ, deſcriptio rerum lætarum, ut victoriæ, alicujus triumphi, ludorum, & hujuſmodi; præterea locorum amænitas, florum, gemmarum, veſtium, odorum. Inſuper ipſa lætitiæ deſcriptio animum excitat, ſpeque ſua oblectat; denique cauſa lætitiæ calamitas eſt improborum; cum ſcilicet illos deprimi videmus, atque opibus, & honoribus ſpoliari, quos præter jus, & æquitatem obtinuerunt.

Ad reprimendam lætitiam reprehesentanda eſt boni, unde oritur lætitia, aut turpitudo, aut brevitas: exponendi ſunt rerum futurarum incerti eventus, fortunæque dominantis arbitria, quæ nihil conſtans, ac perpetuum pollicetur ſuis; ſed eos fallit aſſiduis, & frequentibus mutationibus, aſſerendum videtur voluptati, & lætitiæ mærorem ſemper adhærere, & triſtitiam. Præterea coercebis lætitiam, ſi in auditorum animis timorem ingerere ſatages. Denique majoris boni ſpe, aut cupiditate, voluptatem minoris imminues, vel potius abſorbebis, & quibus dolorem excitare didiceris, iisdem lætitiam remittes.

Ut autem lætitiam noveris pro rerum opportunitate in aliquibus aliquando reprehesentare: Hæc ſunt ejus effecta, & primo ciet lacrymas, deliquiis artus relaxat, mortem infert, corpori gratum colorem, floridamque venuſtatem conciliat, ad choreas excitat, ad tripudia, & convivia, animum reſolvit, & abjicit curas, timorem, & ſenſum doloris; fucum detrahit, & ſimulationem. Spem excitat, & amorem; facit, ut in gratulationes erumpamus, & alios ad hilaritatem incite-

citemus, provocat deſiderium earum rerum, quæ gaudium augere ſolent, cietque nos, ut optemus ſoles fulgere melius, terram luxuriare floribus, mella fundere flumina, montes ſudare balſama, præterea qui lætantur, cum aliqua delectatione præterita pericula enarrant, erumpuntque in vota, optantque eamdem diem voluptatis cauſam ſæpe redire, verſantur in cogitatione, ac delectatione boni, quo fruuntur, gaudentque ſibi prorogatam vitam, ut ea videant, ex quibus voluptatem capiunt. Affectus iſte exprimi ſolet in epitalamis genetliacis, & orationibus, quæ fiunt in adventu virorum, & Principum in triumphis, feſtis diebus, aliiſque hujuſmodi argumentis, quorum exemplis artificium exprimendæ lætitiæ nos docebit antiquitas.

De Dolore, ſeu triſtitia.

Dolor, ſeu triſtitia *ſenſus eſt ex opinione preſentis mali*. Affectus iſte exprimitur iiſdem fere rebus, quæ odium concitare ſolent, valentque plurimum hipotipoſes, quæ cauſam doloris exprimant, oculiſque ſubjiciant; Sunt enim quædam præcipua, quæ dolorem vehementius acuunt, ut conſanguineorum vincula, mortes, funera, bonorum amiſſio, vexatio rerum, quæ ſunt nobis in vita chariſſimæ, & jucundiſſimæ.

Dolorem leniet Orator: ſi naturam mali ſpectaverit, unde oritur dolor, alia quippe dicenda ſunt, ſi de exilio agatur, alia, ſi de morte, alia, ſi de bonorum jactura, ceteriſque fortunæ acerbis caſibus: ſunt autem communia hæc capita mitigandi doloris, innocentia afflicti, qua orator oſtendat, innocentiam non pœnam ſceleris ſubire, ſed ob facinus aliquod egregium, vitæ conditio, quæ patiendi neceſſitatem affert inexplicabilem, fortunæ inconſtantia, quæ ſuos muneribus ampliſſimis ornatos ſtatim ex alto præcipites agit: exempla virorum illuſtrium, qui eadem, immo, & damna multo graviora fortiter tolerarunt: gloriæ meſſis,

ſis, quæ ex conſtantia colligi poteſt. Inſuper triſtitiæ lenimentum dabis; ſi docueris fortis eſſe viri nec adverſis frangi, nec proſperis inſoleſcere; ſed ubique parem animi conſtantiam retinere; ſi dixeris præmeditatum fuiſſe malum, quo quis dolet; ſi perſuaſeris inutiles eſſe lacrymas, nec tales, quæ malum repellere poſſint; ſi animum àvocaveris à rerum cogitatione, quæ horrorem excitant; ſi monueris ex divinæ voluntatis arbitrio ſemper & ubique vivendum; ſive leniter, & blande nobiſcum agat; ſive ad virtutis exercitationem, & præmium aſpera, & dura nobis evenire permittat; ſi animum ad ſtudia litterarum convertas; ſi earumdem miſeriarum ſocios habere pronunciaveris; Sin autem de vita functis agatur, dolorem de illis minueris, & ex ſtatu melioris vitæ quam ſunt conſecuti, & ex commendatione rerum ab illis præclare geſtarum. Triſtitia præoccupatus homo hos ſentit ſui doloris effectus: effuſus eſt in lacrymas; nullis delectatur, niſi triſti rerum imagine, ſquallore corporis, veſte ſordida, neglecto capillo, genarum, & capillorum laceratione, percuſſione pectoris, & fœmoris, contractione frontis, dejectione luminum, ſolutione membrorum, ac potiſſimum brachiorum: dolorem ſecum oſtendit: odit lucem, & conſpectum hominum; in ſolitudinem, & ſylvas ſe abdit, & cum ipſa interdum loquitur ſolitudine; ſilens obſtupeſcit, & ad lacrymas impotens quaſi lapideus torquet: in querimonias abit; calamitatem ſuam, ut inopinatam, deplorat; ſi dolor ingens ſit, diuturnitas temporis dolorem confirmat, augetque, ſi levis, imminuit: mollis eſt & viribus fractus, ac meticuloſus: præſentem calamitatem cum felici ſuperiore fortuna componit; eumque dolet, & queritur; profitetur animum ſibi præſagum fuiſſe calamitatis; læta omnia ſpernit; velletque in ſocietatem luctus ſui, non modo homines trahere, ſed etiam ſylvas, & bruta; invehitur acerbius in eos, qui ſibi cauſa fuerunt mæroris, & luctus, conſiliumque omne reſpuit: deſperat ex impatientia mali; ſuperos crudeli-

tatis accuſat, provocatque maledictis, quaſi nihil acerbius evenire ſibi poſſe credat; in deſiderium tandem mortis erumpit, illamque aliis immaturam, ſibi ſeram nimis conqueritur.

De Spe.

SPes eſt *motus animi tendens in bonum abſens, arduum, & difficile; ſed tamen quod labore obtineri poſſit*. Oratio bene ſperantis debet eſſe læta, præfidens, plena contemptu periculorum, atque mortis. Spem excitare poſſunt, quæ de deſiderio, & amore ſuperius dicta ſunt; hoc tamen facilius obtinebis, ſi rei quam proponis, honeſtatem deſcribas, & magnitudinem; ſi probes, ea eſſe, quæ metum, ac terrorem aliis faciunt, nobiſque certam victoriam pollicentur: Si corporis vires adeſſe; ſi ſolertiam, prudentiamque: ſi amicorum multitudinem, populos fæderatos, copias auxiliares, & hujuſmodi; ſi experientiam ducis alicujus fortis, & ſapientis: ſi oſtendas vias eſſe faciles, eaſque aperias: ſi minuas opinionem difficultatum; ſi dicas ſpem hoſtium afflictam eſſe, prope deploratam conditionem, vireſque imbecilles; ſi perſuadeas bene faciendæ rei experientiam ineſſe; ſi commemores ſæpius, & multa proſpere, ac feliciter a tuis geſta fuiſſe, nec ullum unquam incommodum, aut id raro perpeſſos; ſi præmia copioſa, utilitatemque plurimam ex re, quam ſuades, futuram eſſe proponas; ſi innocentia protectum eſſe dicas, cui feliciter evenire omnia ſolent: ſi divinum ſpondeas favorem, eumque imminentem; ſi tandem ad iracundiam auditores ſuos concites; hæc quippe vires intendit ad difficilia, & ardua ſuperanda.

Spem infringes: ſi doceas non in corporis viribus, non in laborum induſtria, non in militum robore, non in ducum peritia, non in divitiarum magnificentia, non in amicorum copia, non in aliquo denique rerum apparatu fidendum eſſe, perdi illa poſſe, & ſomnian-

mniantium innueris ſpem eſſe, quæ in iſtis reponitur: Si inexpugnabiles eſſe dicas propoſitæ rei difficultates: ſi malum aliquod ob oculos ponas: ſi dicas rerum conditionem volubilem eſſe, momentumque temporis utriuſque fortunæ, rerumque mutationem afferre: ſi moneas, nimis præfidenter ſperare, aleæ, periculique plenum eſſe.

Ut autem eam deſcribere poſſis, en ejus imago: credula eſt, & ex omnibus facilem ſuſpicionem accipit; pertinax vix ex animo expellitur fallax, quæ facile credit, & ſæpius decipitur: ſuſpenſa, quæ modo deſperat, modo timet; plena voluptatis, & gaudii, quæ cogitat fortunæ rotam ſibi circumagi, ſolem ſibi lucentiorem videre, momento uno afferri ſibi, quod longa ætas denegavit: blanda, quæ ſibi blanditias facit, etiam in rebus iis, quæ ſibi non arriſerunt, creditque fortunam etiam variabilem, non fore in ſuo malo conſtantem: ſollicita, & incerta ſui, ſi bonum ſperatum non poſſideat; miſerorum eſt levamentum, quæ vultu ad hilaritatem compoſito, ægritudinem, ac moleſtiam abſtergit, magnarum animarum eſt alimentum, quæ ex omnibus omen captat futuræ felicitatis; & inde potiſſimum, ſi proſperam ille habeat ſortem, a qua adjuvari ſe poſſe arbitratur.

De Deſperatione.

DEſperatio *eſt animi ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum*. Spei contraria eſt, utpote boni cujuſpiam obtinendi, vel mali depellendi diffidentia.

Commovetur deſperatio contrariis capitibus, quibus concitatur ſpes. Quare dicendum Oratori nullum eſſe perfugium, occluſos omnes fugiendi aditus, adipiſcendæ rei vias obſeſtas, nullam expediendæ ſalutis eſſe rationem. Difficultates ſunt augendæ, viſque ſuperandi imminuenda, judicium dandum rei nunquam conſequendæ: monendum ex inveterata ſæpius repetita ca-

lamitate, eventurum certe fore, ut idem ſit exitus rerum ceterarum: docendum tandem ſupra vires eſſe, quod quæritur. Animum deſperantis erigere poteris, ſi adipiſcendæ rei facilitatem aperias: ſi pronam Dei voluntatem ad opitulandum cuilibet proponas: ſi culpam, ex qua orta creditur calamitas, imminuas: ſi dicas ignavi hominis eſſe per deſperationem in ſe ipſum ſævire: ſi moneas in Deum ſpem eſſe ponendam, cum nos humana premant; ſi tandem ea educas omnia, quibus erigi ſpem diximus.

Si vero deſperantem rebus ſuis hominem deſcribere cupias, ille mortem quærit, vitamque malorum, & infamiæ finem ſibi proponit: rerum omnium curam, malorumque metum abjicit periculo ſuperior: captat ſolitudinem ſui furoris conſciam, & quantum poteſt arbitros removet, ut meditatum ſcelus facilius, & cum aliqua delectatione perficere poſſit; præ deſperatione prodit, aſpectu truci, pallida facie, pendente vultu, micantibus oculis; interdum quaſi ſecurus nil timet; & in ſtuporem attonitum metum commutat; ſæpius in ſolam intentus ultionem, tam malo impetu fertur ad agendum, ut pro morte ſalutem inveniat, cladem que inferat iis, quibus in deſperationem conjectus eſt: optat ultionem hoſtium, quam ut conſequatur nullam ſceleris atrocitatem reformidat: lætatur, ac triumphat gaudio, ſi priuſquam mortem adeat, ſeſe ulciſcatur; ſerena fronte, ac vultu hilari ſpem ſimulat; gaudet facinorum ſuorum ſpectatorem eum habere, quem deſperationis auctorem putat; nihil omittit eorum, quæ ei acerba exiſtimat fore, cui moleſtiam facere ſe poſſe credit: verbis effertur, & furiis actus aliis inſultat, a monitionibus irritatur potius quam compeſcitur: conſilia rejicit, & iraſcitur in eos, qui ſibi ferrum eripiunt, aut inſtrumenta mortis: omnia negligit, ac peſſum ire ſinit, immo nec alios de ſe quicquam boni cogitare permittit; denique præceps agitur, & pericula, clades, fortunæ ſævientis impetum non reformidat, ſed provocat intrepidus.

De

De Metu.

Metus eſt *ægritudo*, *&* *perturbatio gravior ex impendentis mali opinione*, *quod aut interitum nobis*, *aut dolorem afferre poſſit*. Affectus iſte uſuvenit in genere deliberativo, cum ſuadendum, aut diſſuadendum eſt, & cum aliquorum comprimenda temeritas, aliorum coercenda eſt audacia.

Qui timorem velit concitare, prius noſcat oportet, quid illud ſit, quo quis ducitur, laudis, & gloriæ cupidis honoris jactura proponatur; deliciarum amatori, vitæ ſuavioris privatio; avaro divitiarum amiſſio; & ſic de aliis. Apud Judices amplificanda ſunt damna, quæ cervicibus ſuis, totique Reip. impendent, & bona, quorum jactura timetur; generatim mali propinquitas, & ſigna omnia rei mox futuræ, proponantur, portenta quoque, & prodigia, impendentium malorum argumenta; rerum nobis cariſſimarum jactura: ſi dicatur nocendi poteſtatem habere eos, qui adverſantur pecunioſos eſſe, potentes, robuſtos, impios, pravos, & hujuſmodi; moneatur affectam contumeliis virtutem, & probitatem, ſublatam religionem, judicia, & hujuſmodi: In eo, qui nocere vult, conjunctam eſſe cum improbitate potentiam, cum furore vires: commemoretur avidum ultionis eſſe inimicum ex accepta injuria: ſuſpicari poſſe ab hoſte novam offenſionem ex experientia illatæ ſuperioris injuriæ. Præterea ii metui ſolent, qui de honore nobiſcum certant; quærunt etenim fraudes. Inſuper qui ſcelerum noſtrorum conſcii ſunt; nam ſi improbi, veremur, ne ſcelera prodant, & multo magis ſi cupiditate pecuniæ exardent: Qui lenti, ſedati diſſimulatores, & verſuti; nemo enim novit, quod periculi genus ab eis caveat: Qui mala conſcientia adiguntur; Quippe trucidare non dubitant aliquando, a quibus timent. Mali etiam præteriti, quod quis eſt expertus, recordatio, & dux

conſequentis, ex Ovid. 2. de Ponto Eleg. 2. metum excitat: Præſens quoque, & anticipata miſeria. Demum valde pertimeſcendum eſt, quando res eſt hujuſmodi, ut ſi quid peccatum eſt, nullus tamen emendationis locus videatur; vel quia auxilia in adverſariorum poteſtate ſunt; vel quia nulla ſperari poſſunt, aut nimis difficulter obtineri.

Timor ſedatur his omnibus, quæ de confidentia mox ſubjicientur; præterea ſi dicas non admittendum timorem, qui nos ante miſeriam miſeros facit; timorem incerti periculi certum eſſe damnum: malum antevertere qui timet, eumque bis pati, mala nimirum quæ non ſunt, & quæ timentur: timendo nihil agi, ſi certum periculum ſit, fruſtraque ſe vexare, ſi illud non eſt futurum; ſi promittas, meliorem fore rerum eventum ac timetur: nullas eſſe hoſtium vires: divinum non defuturum auxilium: ſi tandem moneas teſtimonium habere conſcientiæ bonæ, cujus eſt timorem abjicere, & ſecurum facere.

Ut timore deprehenſum hominem ſe effingere doceas, hæc noſcas oportet; Qui timet, pallet, pavore, & frigore totis artubus contremiſcit; tardus eſt inceſſu, ac viribus deſtitutus; frigido occupatur ſudore, nec dies, nec noctem quietem ſomni capere poteſt, & ſi quam capit, inquieta eſt, & ſæpius horrore intercipitur; ſumme ſollicitus eſt: omnia majora facit, ac re ipſa ſunt; nihil certum habet: ſuſpenſa omnia, nec uni tantum, ſed pene totis ſenſibus illuditur: in fuga perfugium quærit: malum eſt futurarum rerum interpres, ſibique deteriora ſemper auguratur: omnem auram, & flatum pertimeſcit: modo ignavus eſt, modo audax, & promptus ad quælibet facinora, ſpe videlicet mali depellendi; vocem, & ſenſum perdit; fundit meſtus lacrymas, preceſque; timet conſpectum, & familiaritatem eorum, a quibus ſibi malum aliquod ſuſpicatur: ſpem inter & metum ſemper nutat dubius; mortem optat, & tempora deteſtatur, ad quæ ſervatum ſe queritur.

De Audacia, ſeu confidentia.

Audacia *eſt ſpes quædam proximæ ſalutis, & rerum horribilium, vel non futurarum, vel longe remotarum contemptus, & opinio.*

Advertite hoc loco ab audacia ſpem non disjungi; ſed ea, quæ a nobis hic edicentur, ad majorem copiam ſuperaddere placuiſſe. Concitatur igitur audacia eodem modo, quo ſpes; addo tamen tibi ſatagendum, ut animos audientium erigas; ut periculum extenues, doceaſque minus eſſe incommodi, quam iis illi fingunt; ut memores maxima ex parte ſuperatas difficultates; ut probes ſubſidia adeſſe vincendi; ut ſpondeas favorem divinum; ut indignitatem, & rei atrocitatem, quam ii patiuntur amplifices; ut dicas in hoc diſcrimine eſſe, ut aut pereant, aut vincant; ut recorderis majorum virtutem, & gloriam; ut gloriam, & laudem proponas ex victoria naſcituram; ut moneas Deum ita velle.

Deprimitur audacia propoſitis periculis, & virium imbecillitate: commemorando nimiam virtutem plus ſæpe nocere, quam prodeſſe: fidendum non eſſe fortunæ, ſi ſemel faverit; fragile totum eſſe, quidquid in hominibus, aut in rebus, eſt, robur, ſanitatem, opes, dignitates, potentiam; neque in iis reponendam ſpem.

Audax homo, ſi quem deſcribere occurrat, periculum nullum reformidat, aut rejicit; ſed ad omnia paratus eſt; periculum elevat, illudque ridet, & inſultat; armorum aſpectum gaudet, atque equorum fremitus, bellique avidus hoſtem ad pugnam laceſſit; materiam quærit exercendæ virtutis, quæ ſi non adſit, ludicram pugnam fingit in animo, & in ſomnis bella meditatur: ſuperbia elatus in ſe uno ſpem omnem figit, nec ab incepto revocari ſe patitur: gloriæ ſtimulis incitatus cupiditatem incendit, & ardorem mentis acuit

ad ardua: magnifice de ſe loquitur: Superiora facinora repetit, doletque, parum ſibi credi: ſibi ſpondet omnia; felicemque rerum exitum pollicetur; ſe votis ſuis potitum exiſtimat, cum alii ſpem nullam vident: ſi per ægritudinem, vel grave Senium, aut rem aliam non poſſit, quod antea, dolet ademptam ſibi facultatem agendi, optatque redire vires priſtinas: in periculo periculum timere neſcit, mortemque contemnit.

De Ira.

IRa ex D. Auguſtino *eſt turbolentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt: & ex* Ariſtotele *ulciſcendi ſui cupiditas cum dolore conjuncta, quam opinio contemptus noſtri, noſtrorumque parit.*

Ira non ita facile ab odio ſecernitur; habent etenim multa communia, quibus incenduntur, præter quam quod ira ex iis incenditur, quæ in nos, & in noſtros cadunt; odium etiam ex illis, quæ nihil ad nos pertinent.

Affectus iſte, qui ita in homine laudatur (ſi tamen rationis cancellos non prætergrediatur), ut neget Tullius, virum non videri, qui neſciat iraſci, concitari a vobis poterit: augendo opinionem contemptus, & injuriæ, quam quo graviorem probabitis, eo vehementior erit motus: dicendo non modo non moveri incommodis; ſed etiam lætari rebus adverſis, qui nobis inimicus: extollendo perſonæ contemptæ dignitatem, & excellentiam: monendo levem eſſe cauſam contemptus, & injuriæ; læſos eſſe ab iis, a quibus ſperabatur auxilium, ſeu coli ſolebamus, vituperatum eſſe id, quod in nobis laudandum eſſe ducimus, aut artem contemptam, cujus cupiditate tenemur: injuriam profectam eſſe ab amicis, vel propinquis; abiectæ ſortis & conditionis eſſe eos, a quibus contemnimur.

Præ-

Præterea ſi aliquorum injurias, & contumelias in auditores commemorabitis; ſi doceatis ſe illorum conſiliis, & conatibus opponere, atque efficere, ne perfruantur optatis; ſi eum, in quem iram accendere vultis, dolo, fraude, ac verborum integumentis uti dicatis: ſi ingratum, ac beneficiorum immemorem eſſe: ſi cum offenſione id beneficium negare, quod ſibi deberi arbitrantur: ſi obtrectationibus horum aures præbere, quos angi putant oportere; ſi de illorum honore detrahere, vel apud eos, quibuſcum de honore contendimus, vel apud eos, qui nos magni faciunt, vel apud eos, qui nos verentur, & obſervant.

Nota ad amplificationem injuriæ referenda eſſe verba, geſtus, actiones, omnia ad contumeliam compoſita; ſubjicienda eſſe oculis per hypotipoſim, & Ethopæjam; opus eſſe indignatione, & epiphonemate, & ſimilibus figuris; virtutes ejus, qui læſus eſt, cum vitiis ejus, qui læſerit, præferendas; variis exemplis exagerandum factum; ſi ſoli, ſi primo evenerit; ſubjiciendum damnum, quod inde ſuſpicatur: dicendum turpe eſſe non ulciſci, & ſine ultione æſtimationem penitus perituram: deinde docendum ſpem eſſe ulciſcendi, eamque juxta præcepta incitandam: ſtudioſe captandam temporum, & locorum occaſionem, ut ſi doleat animus; ſi cupiat; ſi corpus male affectum ſit; ſi laboret aliqua ſuſpicione, tunc etenim promptiores ſumus ad iram &c.

Cavendum Oratori, ne crudelior appareat in puniendo; ne majores ex æquo pænas repoſcat: ne denique intemperanter furere ipſe videatur. Sed decorum ſervet, incenſus ſit, & grandiori orationis genere utatur.

Mitigatur ira iiſdem ferme rebus, quibus miſericordia excitatur; orator vero amorem in dicendo præſeferat, & venerationem ejus, quem mitigare contendit, doceatque nullam illatam eſſe injuriam, vel culpam non fuiſſe voluntariam; moneat eum, in quem ira eſt, potentiorem eſſe, & dignum omni veneratione, & cultu, nec tutum eſſe cum illo habere inimicitias; ab eo

prius

prius diſceſſiſſe injuriam; eum, qui læſerit, demiſſo animo miſericordiam ſuppliciter implorare, jam depreſſum, victumque hoſtem eſſe; injuriam latam fuiſſe non per contemptum, ſed per dolorem, & iram impotentem in eo, qui læſus eſt, eumdem eſſe defectum, propter quem in alium iraſcitur: proprium fortis animi eſſe iram vincere; enumeret damna omnia, quæ ex ira accidunt irato: excuſet perſonæ lædentis conditionem; ut & imminuat contumelias: deſcribat irati hominis turpitudinem; dicat iræ primum naſcenti eſſe occurrendum, ne in perniciem noſtram adoleſcat; perfecte enucleat, optimeque cognoſcendam det illatam contumeliam; proponat, quæ illa ſit, & quo animo facta, ne ira perturbatæ rationis major videatur; rurſus inſinuet glorioſius eſſe hoſtem ſervare, quam perdere morte, ad vitam revocare, quam licet meritum ad mortem damnare; eam eſſe veram de hoſte victoriam, quæ nulla venia, dignos clementia ſuperat, ac bonitate; ad Deum propius accedere, qui dat ſalutem immeritis, dum vitia profligantur; denique ad flectendum iratum exoptanda eſt opportuna temporis ratio, expectandumque tantiſper dum ſe fregerit impetus iræ, eligendumque potiſſimum tempus illud cum honore, aut lucro aliquo recens affectus ſit: cum judicio vel armis hoſtem vicit, cum ludis, vel conviviis, vel hujuſmodi vacat.

Ad deſcriptionem hominis irati, iræ effecta ſunt hæc; rationem perturbat, & ob mentis inopiam cæco, ac præcipiti motu ad furorem inflammat; totum adeo corpus deformat, ut in alium mutatus homo videatur; oculos, & vultum in ignem accendit; hominemque præcipitem agit; ulciſcendi ſeſe flagrat cupiditate: inferendæ ultionis diligenter occaſiones obſervat, eoque periculoſius, quo ſimulatius; in deſperationem abit, ſi poteſtas ulciſcendi non detur: prorumpit in contumelias, & imprecationes; excandeſcit, & indignatur, quod Dii non ulciſcantur injuriam; terrere gaudet eos; in ipſos iraſcitur, & minas addit maledi-

ctis:

ctis; voluptatem capit ſi de inimico ulciſcatur; contemnit eos, in quos commovetur, & contemptu contemptum ulciſcitur; contemni ſe dolet, graviterque patitur ſeſe interdum ſperni, dum minas ſonat, & ſupplicia; amplificat, quantum poteſt, contemptum ſui; commendat ſe pluribus, ut ex eo capite augeatur contemptus, & ex contemptu ira: eludit eorum reſponſa, qui eum placare volunt: poſt contumelias, & injurias incuſat ſe quod occaſionem ultionis oblatam non arripuerit, eamque revocat deſiderio: multo gravius iraſcitur, & ſe magis excruciat, ſi ſpes ultionis adempta ſit; pænam non concupiſcit, quam non ſperet, fortunæque inconſtantiam ingerit, quæ poſitos in ſupremo dignitatum faſtigio, deturbet præcipites.

De Manſuetudine.

MAnſuetudo ab Ariſt. definitur *depreſſio, atque ſedatio iræ.* Ab ira ad Manſuetudinem animos traducet Orator, ſi ſuſpicionem contemptus ab illis tollat, doceatque ſentire de ipſis, ac dici magnifica; ſi moneat per impudentiam, vel aliquo alio caſu, non certo conſilio lapſos eſſe, qui eos offenderunt, vel præter voluntatem deliquiſſe humano errore deceptos, & neceſſitate coactos; ſi oſtendat culpam cum dolore fateri, qui eam admiſerunt; ſi afferat ſupplices ſe demittere, & puniendos ultro permittere, qui offenderunt; ſi beneficia commemoret ab eo ſuſcepta, de quo eſt contemptus ſuſpicio; ſi ſub orationis initium non pauca dicat, quibus qui læſus fuit, intelligat ſe diligi ab eo, qui læſit; ſi pronunciet eos, a quibus læſus eſt, graviores pænas pependiſſe, quam ipſemet exegiſſet; ſi virtutes, & res præclariſſime geſtas ab eo prædicet, qui læſerit; ſi ſenſim metum ei injiciat, in quem exardeſcit; ſi ſupplicem, ac deprecantem, qui fecit injuriam, inducat; ſi proponat eumdem ſemper eſſe cum omnibus; ſi adſerat, exempliſque probet, non exiguam

guam gloriæ meſſem manere eos, qui iram manſuetudine vincunt, miſerumque eſſe crudeliora meditari, ac facere: ſi tandem affirmet, ſeveritatem cum lenitate miſcendam; licet enim iracundia inſtrumentum ſit virtutis; inclinandum tamen eſt in mitiorem partem; & ſi peccandum, remiſſione quam crudelitate, melius, aut tutius peccandum.

Manſuetudo deſcribitur moderatione vultus, & ſermonis; orationis illecebris, & ſuavitate; modeſtia totius habitus: & demum iis omnibus characteribus, quibus poetæ pacem adumbrant. Claud. omnia Martis inſtrumenta, ſub Clementiæ pedibus ſubjicit.

De Miſericordia.

Miſericordia *eſt motus animi, ſeu dolor quidam ſuſceptus ex cogitatione mali alterius, quo ſe, vel ſuos affici poſſe videt, qui miſeretur.* Hinc eſt, ut ad miſerationem moveatur; qui adduci poteſt, ut ad ſemetipſum, vel ad res ſuas revocet, quæ de altero deplorantur; non autem ille, qui nihil tale ſe pati poſſe credit.

Ad commovendam miſericordiam plurimum valet augere extra modum calamitates, & incommoda, ex quibus eam natam volumus, quod potiſſimum fieri poteſt comparatione intur prioris fortunæ felicitatem, & ſequentis miſeriam.

Movet etiam hunc affectum afflicta, calamitate ſenectus, & adoleſcentia, ſi recordatione ſui ſuorumque auditorum ſenſus leviter pertentet Orator, ut præſtat Cic. in Piſ. Mors præterea propinquorum, & orbitas, corporum vexatio, morbi inopia, exilium; quarum calamitatum comitem præ miſeratione ſeipſum Orator offerat, ut miſericordiam vehementius accendat.

Attingat Orator ſingulas circumſtantias: perſonæ quæ cruciatur, aut crucianda eſt; videatur, ſi fuerit innocens, ſi præcellens aliqua virtute, ſi litteris exculta; ſi fortis an imbecillis in tormentis; ſi florenti, an

an tenera ætate; ſi tandem iis valeat, quæ ſolent in generare ſenſum doloris molliorem ætatis; ſi in adoleſcentiæ flore, ſi in cadente ſenectute excrucietur; & hujuſmodi; loci, ſi coram iis patiatur quos calamitatis teſtes minime vellet; temporis, ſi tum exitium patiatur, cum laborum mercedem ſibi pollicebatur & præmia; cauſarum; ſi aliorum injuriis non propria culpa calamitas ſibi obvenerit; finis; ſi virtutis cauſa infelix repente extitit; modi: ſi quis nobilis, ſi quis ſapiens, ſi quis in dignitate conſtitutus ſubiturus ſit idem ſupplicium quo plebei homines ſolent animadverti; ſi perpetuam quamdam malorum ſeriem patiatur; ſi nihil unquam boni percipiat, ſed unius mali finis gradus ſit ad ſubſequentia graviora.

Præterea modeſte petet Orator, quæ pro ſuis vult ab auditoribus, oſtendatque; occulte tamen leve eſſe, quod petit homini calamitoſo, ærumnas cum aliis comparet, dicatque calamitatem ſuperiorem, tametſi graviſſima ſit, levem tamen etiam cum graviore præſenti comparatam; utatur obſecratione, depreceturque auditores per quidquid eis gratiſſimum eſt; ſermocinationem adhibeat, & per Dialogiſmum loquentes inducat, tum eis qui acceperunt injuriam, tum qui intulerunt, ſigna doloris palam exhibeat: ita Brutum confoſſum Lucretiæ corpus, Antonius interfecti Cæſaris togam adhuc cruore ſtillantem P. R. produxit; videat tamen ut id prudenter, non frigide fiat. Rurſus ſenſum hunc auditorum animis injiciat, quod nihil acerbum ſit in vita, quod non ducant evenire poſſe ſibi, aut amicis, aut ceteris hominibus, doceatque nihil magis decere hominem, quam eſſe humanum: Denique caveat, ne muliebres unquam Nænias habeat, ſed ſemper graviter doleat; cum procul abeſt a lacrymis, non dicat ab illis ſe retinere non poſſe, gemituſque vocem intercludere; hoc etenim puerile eſt: non ambitioſe confectetur tropos, figuras, & periodos, ſed ita orationem ſuam contemperet, ut non videatur parata, ſed dolore potius elicita.

Mi-

Miſericordia reprimitur; & iis, quibus inflammari diximus iram; & iis, quæ de invidia dicenda ſuperſunt. Quod ſi auditorum animos jam firmiter occupaverit miſericordia, ſenſim, & quaſi aliud agendo, erit remittenda; quod ſemper obſervandum erit; cum vehemens aliquis affectus erit extinguendus.

Præterea miſericordiam infirmabit orator; ſi rerum calamitate, qua quis premitur, dignum probet; ſi doceat nulla miſeratione dignum eſſe, qui judices ad miſericordiam deprecatur; ſi dicat juſtum eſſe, ut malis maleveniat, ſi oſtendat ſe de eorum ſupplicio gaudere; ſi tandem efficiat, ut judices, aut invideant bonis adverſarii, aut de ejuſdem malis lætentur, aut indignationem aliquam concipiant ob vitæ pravitatem.

Qui miſeratione tanguntur, faciunt, quæ ſequuntur. In furorem, & inſaniam vertuntur, eaque admittunt omnia, quæ dolentis conveniunt; triſtitiam vultu, lacrymas oculis, gemitus ore præſeferunt, ſpiranti ſimiles: ſunt tactis ſæpius deliquiis: corpore, & corporis indumentis ſquallidi ſunt, & ſordidi; infortunia repetunt, etſi ea ab aliis audiant, ſuis lacrymis, & ſuo dolore paſcuntur: ſenſum præferunt alieni doloris, ac profitentur; non minus aliorum infortuniis, quam ſuis, tangi, optantur accidiſſe ſibi, ut ſaltem illorum aliquam partem cupiunt.

De Indignatione.

INdignatio, quæ locum habet in genere deliberativo, & judiciali *dolor eſt perceptus* ob res ſecundas alterius, qui illa fortuna judicetur indignus. Diſcrepat ab invidia, quæ bona digni etiam hominis inſectatur; & quemadmodum miſericordia reſpicit malum; ſic indignatio bonum reſpicit immerentis. Bona vero hoc loco non intelliguntur, quæ animi ſunt, nec quæ naturæ; ſeu fortunæ, ut ſunt divitiæ, opes, potentiæ, honores, amicorum copia, & hujuſmodi.

In-

Indignatio concitatur; ſi vitæ prioris ſorditas, ac vilitas cum præſentis temporis opibus, ac potentia conferantur; ſi quam dicamus per vim appetere ea, quæ illi minime competunt, ut abutatur iis ambitioſe prodigus, in aleis, conviviis, & commeſſationibus; ſi eumdem inſectamur, quia inſolens, & improbus alicujus bona effuſis largitionibus diſſiparit, vel in profundum libidinum ſuarum gurgitem immerſerit; ſi inferiorem doceamus, cum ſuperiore contendere in eodem ſtudio, vel honoris æmulatione; ſi divitias, ſi honores alicui præter meritum contigiſſe adſeramus; quod tamen cum diſtinctione agendum videtur, ut hæc apud eos dicantur, qui ſibi eadem mereri videantur; ſingula tamen apud ſingulos juxta cujuſque meritum.

Sedatur indignatio, ſi cui indignantur; cum dicas virtute, ac rebus præclare geſtis bona ſibi comparaſſe, non recens accepiſſe; ſi probes ingenioſum, ac nobilem nunquam degenerem animum habuiſſe, ac proinde naturam ei ſemper faviſſe; ſi moneas jampridem bona illa poſſediſſe, nec iis unquam ad ſcelera, vel in Reipublicæ aliorumque perniciem abuſum fuiſſe; ſi doceas non arrogantem, & ſuperbum in meliori fortuna ſe præbuiſſe, ſed modeſtum, & communem, eumque de aliis magnifice, de ſe humiliter locutum fuiſſe.

Indignatio deſcribitur admodum libera, quæ amplificet vitia, vel in malam partem virtutem detorqueat, nec fortem, ſed temerarium, neque prudentem, ſed ignarum eum dicat, in quem indignatur furens, & amens, quæ ſibi interdum violentas afferat manus; irreligioſa, quæ in cœleſte numen obſtrectetur; exprobrans, quæ recenſeat ea, quæ recenſeat ea, quæ ab ingrato facta ſunt, & alterius improbitati cum aliqua eorum exageratione beneficia opponit. Denique indignationis effecta eadem pene ſunt, quæ in iracundia.

De

De Invidia.

INvidia, quæ locum habet in genere judiciali potiſſimum, *eſt dolor de proſpera ſorte, quæ alicui prope pari evenerit*, non quod, qui invidet, commodum ex eo percipiat; ſed quod nollet eos, quibus invidet, bona illa poſſidere; quia ſuam putat immunui dignitatem.

Invidiam concitaveris; ſi doceas homini improbo vel citra laboris, ac periculorum aleam turpi quadam gratia contigiſſe bona, ut dignitates, opes, honorum titulos, quæ ceteris non niſi ſummo diſcrimine conſequi poſſunt, ſi dicas eum ob divitias, ſecundamque fortunam ita inſoleſcere, ut præ ſe alios arrogantius contemnat; ſi commemores eum celeriter aut nullo labore, vel parvo ſumptu conſecutum fuiſſe, quod alii magnis ſumptibus aut tarde, aut plane nunquam aſſequuntur; ſi oſtendas alienæ laudis æmulum, ambitioſum, multa molientem, nocentem, tum auditorum, tum aliorum gloriæ, eumdemque dedecus ex aliena fortuna quærere: ſi in auditorum animis laudis imprimas ſtudium, & ardorem gloriæ retinendæ; ſi proponas antiquæ familiæ decora, & ipſorum proprias virtutes, vulgique honorificam de iis mentionem; & contra, ſi vulgi recites honorificam mentionem; de eo, in quem movere invidiam ſatagis; ſi exageres populi in illum animi voluntatem, & propenſionem; ſi deſcribas multitudinis voces, & præconia, modo tamen laus illa ſuperari facile poſſit, & impediri. Præterea ad concitandam invidiam profuerit noſſe mores eorum in quibus excitare volueris; quare eam concipere ſolent, pares loco, gente, cognitione, ætate, ſcientia, dignitate, fortunis, qui denique puſillo ſunt animo, ut opifices, fœminæ, ruſtici.

Reprimitur invidia capitibus contrariis, ac excitatur. Quare bouum minuas, cui invidetur: merita illius oſten-

oſtendas, qui illo potitur nullam factam eſſe injuriam demonſtres, ac doceas illum fortunæ bonis, atque honoribus, honeſte, ac moderate uti : dicas non ſuis, ſed aliorum commodis bona illa adhibere, quæ invidiæ ſunt incitamenta; parta fuiſſe laboribus, ac miſeriis; adſeras ingentis animi eſſe, ſi magna in aliis quis ſpectet, nec virtuti, nec felicitati invideat; aperias damna, quæ invidiam ſequuntur; ipſa etenim partim lædit eos, ad quos intenditur, dirius vero, a quibus procedit, quippe qui ſua ſine fine ſubſtinent ſupplicia.

Invidiæ deſcriptio præclara eſt apud Ovid. met. 2. fab. 12. at eadem fere habentur apud Scaliger. in Append. Virg. Ceterum ſævit ipſa in parentem ejuſque interiora in modum tineæ depaſcitur: ſimulat gaudium: non vult videri invidere : triſtatur, ſi invidiæ nota afficiatur : Unum expectat mali ſolatium, ſi cui invidet, ex alto præcipitem datum adverterit : Virtuti inimica eſt : oſtentat ſe magnifice, virtutiſque ſuæ præco nobilis; alios facile contemnit; qua poteſt animi vociſque contentione rivalem ſuum inſectatur & quantum poteſt veteras commendat, & extollit, ut recentes deprimat, cum rivali eod. timida ſemper, & querula veretur ne ſi quis honorem conſequatur, gloriam ſuam ille ſplendore ſuo obſcuret; alienæ felicitatis inimica eſt; in odium, & ultionem inflammatur, vitiorumque omnium radix eſt.

De Æmulatione.

Æmulatio eſt *dolor ex aliena bona ſorte ſuſceptus, non quod id alteri contigerit, ſed quod nos illa careamus*. Differt ab invidia, quæ ſi poſſet, aliqua ratione ſpoliaret bono, quod in alia perſona animadvertit : Æmulatio autem fieri talis deſiderat, qualis dicta perſona eſt; & ſic ex amore, & ſtudio virtutis hæc oritur : Illa e contra ex malevolentia, & odio.

Concitatur æmulatio majorum virtute egregie fa-

ctis virorum, exemplis optimis coram delatis, alienis laudibus, glorioſis triumphis, & hujuſmodi. Quæ ſi contingant in civibus, in conſanguineis, in amicis multo magis excitant, & accendunt. Teſtatur Cic. pro Flacco, ubi n. 27. ait: *Quod maxime florere in generis ſui gloria viderat, laudem patriæ in libertatem vindicandam Prætor adamarat*. Verum ut affectum hunc facilius concites, ſatagas oportet, ut cui concitabis, is arbitretur ſe virum magnum eſſe, multum poſſe, debere laudem ſuſcipere, invitari a parentibus, a populis, ab amicis; oſtendas eos, quos imitari debeat, bonis abundare, illis, quæ laudabilia ſunt; dicas laudem illam non eſſe mediocrem, eamque facile obtineri poſſe.

Æmulationem tolles ſiquem inducas ad laudis contemptum, utpote rei inanis; ſi qui ad imitandum propoſiti ſunt nihil commendatione dignum habere dicas: diſſimiles moribus eſſe, & vita ab eo, quod præſtabamus, iiſque ineſſe contraria virtutibus vitia, quas diximus æmulationem accendere; ſi in rerum externarum, fortunarum ſcilicet, & hujuſmodi, deſpicientiam auditores tuos adducas, doceaſque laudes, opes, & ſimilia nihil habere commodi, nihil certi, nihil jucundi.

Æmulatio deſcribitur iiſdem characteribus, quibus invidia. Rurſus, qui æmulatur magna ſibi pollicetur; eorumque quos æmulatur, imitator eſſe ſolet, dolet ſibi præripi laudem, vel nullam gloriæ materiam, ac ſegetem relinqui; eo animo veram gloriam quærit, ut mortem adire non recuſetur intrepidus, dummodo illa potiatur.

Affectus iſte habet locum in omni genere, ſed potiſſimum in epidictico.

De Pudore, ſeu Verecundia.

PUdor quidam dolor eſt, & animi perturbatio ex malis, aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris,

ris, quæ infamiam inferunt. Habet locum in genere deliberativo, præſertim apud bonos, & prudentes, electiſque ac liberalibus ingeniis præditos. Pudorem concitabis ſi auditoribus tuis vel timiditatem objicias, vel longitudinem, & negligentiam, vel temeritatem, & impudentiam, vel ingrati animi labem, vel levitatem, & inconſtantiam, vel contemptum, quo apud ceteros ſunt, vel injuſtitiam, vel animi imbecillitatem, vel avaritiam, vel denique ea omnia, quæ dedecus, & infamiam afferunt, quæ honeſtati, boniſque moribus averſantur. Meum non eſt hoc loco diluendi pudoris monita tradere, ne ingenui pudoris adoleſcentes in verecundiam, & impudentiam adducam: attamen quia honeſti lineam prætergreditur interdum verecundia, cum ſcilicet rerum bonarum nos pudet, verecundiæ modum aliquem adhibendum puto, reprimendoſque eos, quos virtutem profiteri pudet, ſi quando rideantur a perditæ vitæ hominibus.

Reſtingues igitur hunc malum pudorem, ſi a laudibus eorum exordiaris, in quibus affectum hunc reprimere ſatagis, ſi damna amplifices, quæ ex hoc vitioſo pudore naſcuntur; ſi eorum utaris exemplis, quibus imbellis iſte pudor obfuit; ſi dicas remittendum in minimis hunc pudorem, ut promptiſſimus, cum ſeſe aliquid difficilius obtulerit; ſi denique moneas pudendum non eſſe, cum res glorioſa ſuſcipienda ſit, in qua nihil adſit, vel turpitudinis, vel vitii.

Pudor deſcribitur demiſſis oculis, rubicunda facie, ſilenti ore, ſubmiſſa oratione, & interdum imprecans ſibi.

De Gratia.

Gratia duo ſignificat, beneficii collationem gratis factam, & grati animi ſignificationem, & beneficium redditum. Priore ſenſu ex mente Ariſt. *gratia eſt, per quam qui habet egenti gratis aliquid facere dicitur,*

citur, non pro aliquo inde accepto, neque ut ſibi quidquam, ſed ut alteri comparetur. Quid ſit graria ſecundo modo accepta patet ex ſuperius dictis. Affectus iſte uſuvenit in genere deliberativo, ut aliquid alteri impetretur tamquam illi debitum ex prioribus beneficiis, quæ in auditores, ſeu Rempublicam contulerint; tum in genere demonſtrativo, cum illis habendæ ſunt gratiæ, qui de nobis, vel de noſtris, vel de Republica benemeriti ſunt.

Conciliatur gratia in utroque ſenſu, ex indigentia accipientis, ex ipſa rei urgentis, & temporis conditione, ex modo, ex loco, & fine, ex dantis denique perſona; ſi primus; ſi ſolus; ſi cum paucis, ſi magna quis auctoritate præditus ſit.

Removetur; ſi probes eum, qui beneficium confert in alterum, privatum commodum non illius utilitatem ſpectare; ſi collatum eſſe fortuito, ſi non utile eſſe, aſt perniciosum; ſi non datum, ſed redditum, ſi rei utilis, & abjectæ, ſi idem, vel majus conceſſum fuiſſe inimicis.

LIBER QUARTUS.

De partibus orationis.

HActenus, quæ ad triumphum comant eloquentiam, ex iis, quæ dicta ſunt, inſtruximus. Reſtat modo, ut triumphali pompa egreſſuræ accommodemus ornatum, venuſtamque regiis indumentis ſuis educamus in lucem. Hoc vobis facile continge, ſi quæ de oratorio ſermone inſtituemus præcepta, attentione percipiatis, ad praxim ea mox relaturi.

Quid

Quid ſit Oratio.

INgenioſiſſimum opus humanæ mentis oratio, definitur a Tullio *rerum ſermo, atque contentio*. Ex quo patet diſcrimen inter familiarem ſermonem, & rhetoricam orationem; ille etenim *genus dicendi eſt nulla arte politum*; hæc vero *in graviori quadam contentione poſitum de ſchola terſum producitur*.

Quot ſint partes orationis.

CUM duabus potiſſimum rebus perſuadeat orator, fide ſcilicet, & motu, ex iſtis colligendæ ſunt orationis partes; eæ quippe, vel ad motum pertinent, vel ad fidem, vel ad utrumque: Quia vero duplex eſt motus, levior alter, qui gratiam conciliat; gravior alter, qui animos flectit; ex primo naſcitur exordium, cujus eſt auditorem conciliare; ex altero peroratio, cujus eſt, flectere; eadem ratione fidem conciliatur; vel rem exponendo, quod eſt narrationis; vel probando, quod eſt confirmationis.

Quatuor igitur orationis partes adſignantur: Exordium ſcilicet, narratio; confirmatio, peroratio, quibus ab aliquibus additur confutatio, quæ cum confirmationi ſubjiciatur, eam inter partes orationis enumerare non placuit.

De Exordio.

PRincipium orationis ducta a textoribus metafora, Exordium rhetores nominarunt.

Definitur *autem aditus quidam in oratione, quo animus auditoris præparatur ad audiendum*, & triplex eſt, ex abrupto, proemium, & inſinuatio.

De Exordio ex abrupto.

EXordium ex abrupto eſt *oratio, quæ cum calore prolata ſtatim, & ſine ulla proluſione animos auditorum afficit.*

Hoc exordiorum genus prudentiam, & dignitatem requirit; dignitas oritur ex figuris, & motibus prudentia diligenter perpendit, quæ pro tempore, & loco ſeligere ad dicendum expediat. Quia vero hujuſmodi exordia motum ſtatim facere debent, per eas figuras, quæ ad illum concitandum idoneæ ſunt, potiſſimum auſpicanda videntur; quare in ipſo dicendi præludio invadendi ſunt auditorum animi pro ratione rerum, temporum, & locorum vel per libertatem dicendi, vel per deprecationem, vel per imprecationem, vel per expoſtulationem, vel per conquæſtionem antecedentium, ſeu conſequentium, vel per emphaſim, vel per commiſerationem, ex dolore, vel per motum lætitiæ repentinum cum exclamatione, & hujuſmodi. Hujus generis exordium habet Cic. prima in Cat. *Quouſque tandem abutere* Cat. *patientia noſtra?* &c.

De Proœmio.

PRoœmium, quod & exordium legitimum appellamus, *eſt oratio, quæ aptis rationibus auditorum animos conciliare ſtudet.* Pro hiſce exordiis plura ſunt conſideranda; unde ſcilicet illorum ducatur materia; quibus figuris ornari poſſint; qui motus in iis dominentur: quæ munera, quæ virtutes eorum ſint, & quæ vitia.

1. Materia ſumi poteſt ab opinione, & ſenſu auditorum; cum præguſtatis eorum ſenſibus inde dicendi capit Orator initium: hac tamen ratione, ut ſi cauſæ noceat auditorum opinio, eam ſtudeat evellere, ſi

faveat,

faveat, eadem utatur ad conciliandam vel ſibi benevolentiam; vel odium. Quis e. g. diſſuadet pacem Romanis, eoſque ad bellum hortatur ex opinione, quam habet eos bellica laude delectari, orationem ſuam exordiri poterit, attollendo eorum bellicam virtutem, invictique animi robur; ſin autem, ut accidit in accuſationibus, ſentiat Orator ſe in ſuſpicionem venire potuiſſe, aut odii, aut avaritiæ, aut invidiæ; tunc exordium auſpicaturus ſatagat, ut totis viribus ex auditorum mentibus hanc deleat opinionem.

2. A diviſione, cum ex innumeris, aut commendatione dignis, aut vituperatione, quæ dicenda occurrunt, unum aliquod e numero illorum eligitur. Quis e. g. herois alicujus panegirim intexendam aggreditur; habet plures commemorandas virtutes; laudet primo animi candorem, addatque hunc non eſſe ampliorem laudem, quæ illum deceat; ſic de aliis ſingulis dicat, quas velit rejicere; diverſa tamen methodo, & ratione, & tandem eam proponat quæ baſim orationis inſtituat.

3. Ex abundanti, cum affirmat orator tam copioſam eſſe ſibi ad dicendum materiam, ut neceſſe habeat præterire multa, quo liberius poſſit aliquibus inhærere.

Hujuſmodi exordiis, quæ multum domeſtica ſolent eſſe tyronibus, cavete vos ne ſæpius utamini; ut enim grata admodum accidunt, ſi ſemel fiant; ita nihil auribus injucundius ſi ſæpius audiantur.

4. Ab adjunctis, cum initium dicendi ſumitur aut ex ipſa oratoris perſona, aut ex judicum, auditorumque commendatione, aut ex adverſantium oratione, aut ex occaſione aliqua loci, temporis, aut eventus cujuſdam. Pulcherrimum eſt & laudandum ſemper hoc exordiorum genus, in quo nedum ingenioſum ſe præbet auditoribus orator, ſed adminiſtrationem quandam in illis excitat, & voluptatem.

5. A quæſtione inſigni, cum in limine orationis dubium

bium aliquod proponimus, & ſuis utramque partem rationibus confirmamus, tandem ſententiam noſtram aperimus auditoribus.

6. A contrario, cum Orator probandum ſuſcipit ſententiam contrariam alteri, quæ materiam & argumentum totius orationis continet. Exordium hoc potiſſimum uſuvenit, ubi ab oratore refrænanda eſt immodica aliqua auditorum cupiditas; tunc etenim in primo aditu non debet ſe ſtatim opponere illorum affectibus, ſed iis quaſi obſequi, ut minus moleſtam repulſam efficiat; locum habet in orationibus quæ pompam præſeferunt, & dignitatem.

Hæc eſt priſca exordiendi methodus, quæ materiam ſumit ex ipſis cauſæ intrinſecis; methodus equidem tantum laudanda, quantum illa improbanda, quæ tamen recentibus quibuſdam placet, quibus in deliciis eſt, materiam abripere ex extrinſecis; quia non invenuſta accidere ſolent, quæ habent materiam externam, exordia.

7. Sumitur a ſimilitudine, a diſſimilitudine, a conſuetudine, ab hiſtoria, ab apophtegmate, ab inaudito ſupplicio, ab ænigmate, ab judicio, ab exemplo, a fabula, ab effatu inſigni, a fictione, ab omnibus denique locis oratoriis.

Figuræ, quæ exordiis conveniunt, eæ præcipue ſunt: Dubitatio, hypotipoſis, occupatio, licentia, diſtributio, anthiteſis, ſuſpenſio, apoſtrophe.

Quantum ad motum duo in exordiis neceſſaria ſunt, ut oratio, & pathetica ſit, & morata. Pathetica erit, ſi pro ratione cauſæ in auditorum animis vel odii, vel benevolentiæ, vel lætitiæ, vel doloris, vel ſpei, vel indignationis, vel voluptatis motum ingeneret. Morata erit, ſi mores dicentis exprimat; ſi ſcilicet pietatis ſtudium; ſi amorem in patriam; ſi juſtitiam, & æquitatem; ſi grati animi ſignificationem, ſi ſtudium pacis, & concordiæ, ſi liberalitatem, ſi ſollecitudinem, & metum; ſi humanitatem, & amorem in doctos; ſi officii expreſſionem; ſi fortitudinem, ſi modeſtiam.

Ad

Ad moratam orationem ſpectat, ut moderatus Orator ſit, quum reprehenſiones aliorum ab ipſo ſunt adhibendæ; ut enim laus amicitiæ motivum, ſic reprehenſio inimicitiæ eſt, ergo juſta commotio, & gravior transferenda eſt vel in leges, & inſtituta Reipublicæ, vel in adverſarium. Vide Cicer. excuſantem vehementiam ſuam in Clodium, culpa in ejus imprudentiam translata num. 1. Idem facit in Verr. 1. n. 18. Demonſtret item juſtam eſſe ſuam iracundiam, ſicuti de ſe ipſe Cic. pro Sext. n. 4. & 57. pro Quinctio. Præmuniat ſe, ne ardentius, quam par eſt, videatur iraſci & reddat rationem, cur inſectetur, quod dictus Tull. facit in Philipp. 2. n. 16. Præmittat laudem, ſuſpicionem odii eripiat, & hoc habes apud eumdem pro Leg. Man. n. 50. Profiteatur benevolentiam, & ſtudium, ceu cit. pro Flacco n. 9. Hæc & alia his ſimilia adhibebit, ne fruſtranea ſit reprehenſio, & ſibi malevolentiam capiet magis, quam amorem.

Advertite hæc locum habere non in exordiis ſolum, ſed etiam in ipſo orationis decurſu, antequam in adverſarium ſe invehat Orator.

Exordii virtutes quinque enumerantur.

Prima, eſt, ut oratio exquiſito artificio ſit elaborata, ſplendoremque præſeferat, docente Cic. *acuta ſit, accurata, illuminata verbis, & inſtructa ſententiis.*

2. Ut ex iis, de quibus agitur, petatur exordium.

3. Ut ſit connexum cum ſequentibus habeatur quaſi ſemina quædam argumentorum, quæ ſumus in reliquo ſermone allaturi.

4. Ut aptum, hoc eſt, neque nimis breve, neque nimis longum, ſed cum tota oratione conſentiens.

5. Ut clarum, & aptum habeat principium.

Exordii vitia 7. recenſeri ſolent.

1. Vitioſum erit, ſi vulgare, quod pluribus cauſſis accomodari poſſit.

2. Si commune, quod non minus in unam, quam in alteram partem cauſſæ convenire poſſit.

3. Si

3. Si commutabile, quod ab adverſario leviter immutatum, ex parte contraria dici poſſit.

4. Si longum, quod pluribus verbis, aut ſententiis, quam opus ſit, producatur.

5. Si translatum, quod aliud conficiat, quam cauſæ genus poſtulat, ut ſi docilem auditorem reddat, cum eſt paranda benevolentia; vel procemium adhibeamus, cum inſinuatione opus ſit.

6. Cum contra præcepta quod nihil eorum efficiat, de quibus præcepta ſunt.

7. Si ſeparatum, quod non ex ipſa cauſa ducatur nec ſit cum reliqua oratione connexum; his omnibus occurrere poteſt orator, ſi ob oculos habeat, quæ ſuperius dedimus monita de exordiorum materia.

Reſtat hoc loco monendum, ut orator ipſe non tantum verbis, ſed vultu, & geſtu verecundiam præſeferat : ut parce, & verecunde loquatur de ſe, & ſuis, aliorumque factis indulgeat potius, quam obtrectet, & nil minus arduum polliceatur : in nullum feratur vehementius : verba non luxurient; non ſint affectata, ſed modeſte florida; ſplendor denique in omnibus ſit.

Tria ſunt munera exordii, attentum auditorem facere, docilem, & benevolum.

1. Attentio conciliatur primo propoſita rei magnitudine.

2. Profiteatur orator, ſe nolle attentionem poſtulare. Satis effecturum rebus ipſis, ut attente audiant.

3. Intendat pericula, quæ ex attentione neglecta oriri poſſunt.

4. Enumeratione rerum, & conſequentium.

5. Diviſione, & diſtributione, amplaque dicendorum promiſſione.

6. Inſigni commendatione rei, de qua agitur.

7. Collatione rerum dicendarum cum jam dictis, has illis proponendo.

8. Dubitatione, quaſi neſciamus, quomodo res appel-

landa ſit;ideoque eam auditoribus judicandam permittatur.

9. Clara probationis pollicitatione, pœnam aliquam ſibi imponens, niſi liquido rem demonſtret, & contra ſi id aſſequatur muneris aliquid poſtulet.

10. Deprecatione, ut attendant.

Quia vero, quæ de attentione diximus, & quæ de docilitate dicemus, non ad exordia tantum, ſed ad reliquam etiam pertinent orationem; Oratoris enim eſt hæc tria ſæpius inter dicendum conciliare, meminerit ille in ipſo orationis curſu auditorem fatigatum recreandum eſſe; quod id præſtare poterit, vel aperte poſtulata attentione, vel aliqua re jucundiore inſerta.

Ad conciliandam docilitatem primo brevitatem promittat orator, eamque ſervet.

2. Se de brevitate jactet, multa contrahens, & concidens, pleraque prætermittens.

3. Dolens pœnitentiam oſtendat, ſi paulo diutius in argumento quopiam verſatus fuerit.

4. Curet, ut non modo, quam ordinatiſſime totam degerat orationis œconomiam, ſed & rem commode partiatur, quod fiat, vel per expoſitionem, vel per numerationem, quæ trium partium numero ad ſummum debet includi.

5. Si res gravior ſit, utatur enumeratione, eaque perbrevi, clara, ſimplici, & ſine verborum involucris. In defenſionibus vero ſi propoſitionem non poſſit, ſaltem enumerationem faciat, ſingulaque adverſarii crimina diluenda ſuſcipiat.

Ut benevolentiam captet orator primo inſtituti ſui rationes, & cauſas leviter exponat, & ſimul a ſe temeritatis, & impudentiæ, & cupiditatis ſuſpiciones quantum poteſt, removeat, dicatque ad dicendum moveri, vel amore patriæ, vel amicorum petitione, vel ex officio, publiciſque rationibus, vel utilitatis publicæ procuratione.

2. Adverſariorum crudelitatem, & impudentiam, nequitiam, & avaritiæ ſordes recenſeat: illos in invidiam, & odium vocet, eoſque improbitate, injuſtitia, ſuper-

ſuperbia, mendaciis, ceteriſque vitiis enumeratis, opponatque tandem nimiam eorum gratiam, & auctoritatem &c.

3. Judicum, & auditorum commemoret merita in ſe, ſapientiam commendet, juſtitiam, fidem, integritatem, clementiam, fortitudinem, ceteraſque illorum virtutes: dicat quanti apud ſe ſint, deſiderium ſuum apud eos dicendi ob illorum præſtantiam, aliamve ob cauſam declaret; ſi ſeverioris fuerint naturæ, ſeveritatem induat; ſi jucundi, ac remiſſi, jucunditatem commendet; ſi pro honeſtis agat, judicum augeat dignitatem; ſi pro humilibus juſtitiam, ſi pro infelicibus miſericordiam; ſi in reos ſeveritatem &c.

4. Rerum gravitatem demonſtret, cauſam ſuam laudet, & quoad fieri poteſt, ordiatur a circumſtantiis.

De Inſinuatione.

SIquæ forte Oratori cauſa obveniat, quæ minus grata auditoribus ſit, ea occaſione illi inſinuatione opus eſt. Hæc definitur a Tullio *Oratio diſſimulatione quadam, & circuitione obſcure ſubjens* auditoris animum. Cauſæ itaque a quibus eſſe ſolet alienus auditoris animus, admirabiles ſunt, incredibiles, & abſurdæ, humiles, dubiæ, obſcuræ, & quæ tales ſunt, quæ audientium animos offendant.

Si Cauſa admirabilis ſit, incredibilis, vel abſurda, eamque ob cauſam auditor vehementer alienatus ſit, ſeſe in ejus animum ſenſim, & occulte orator inſinuet; quis e. g. paupertatem, exilium, aut mortem commendat: ille polliceri debet ſe probaturum ineſſe in iis plus commodi, quam incommodi, honoris, quam dedecoris, utilitatis quam detrimenti, delectationis, quam laboris, quæ quidem quia abſurda videntur, & incredibilia, in hiſce Orator inſinuatione opus habet.

Si humilis adeo ſit, ut dubitari non poſſit, proderit rem fateri, non mira polliceri; curabit tamen Ora-

rator, ut cauſam ſuam elevet, proponatque auditoribus in ea præſtantius quidquam conſiderandum. Aſſumit ille minuſculum animal quoddam laudibus commendandum? fateatur vilem eſſe rem propoſitam; dicat ſe non id facere, ut auditorum patientia, in rei nullius momenti contemplatione, abutatur; ſed ut ad ſublimia mentes ſuas erigat, ad meditationem nempe divinæ ſapientiæ, quæ ut in omnibus rebus, non minus in puſillarum opificio, mirum in modum collucet.

Si dubia, omittenda eſt, quantum ad illam partem, quæ oratori prodeſſe non poteſt.

Si obſcura, & ad cognoſcendum difficilis, jucunditatem inſerat Orator, humanitatem adjungat, fabulam, aut narrationem lepidam immiſceat.

Si turpis, quæ offenſionem contrahat, pro homine, in quo offenditur, alium qui diligatur, interponat, aut pro re rem, & ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animum traducat. Ab iis, quæ obſunt ad ea, quæ proſunt, confugiat, ut ſi cauſa ſit improba, de perſona loquatur, cujus merita recenſeat; ſi perſona noceat, ad cauſam confugiat. Denique ex judicum, vel auditorum perſona invidiam omnem, quæ ex cauſa perſonaque noſtra naſcatur, extinguere poſſumus.

Si jam perſuaſus fuerit auditor, ab alio, vel aliter conſtitutum habeat apud ſe ab eo, quod diſputandum eſt, inſinuatio fieri debet a meritis auditorum in nos cum grandi illorum amplificatione, vel ab iis, quæ agimus ipſi. Si quæ ab Oratore dicentur, vel a re, vel a tempore aliena in iis, etiam inſinuatione opus eſt; quæ quidem accidet Oratori opportuna, ſive excuſationem afferat, ſive culpam in adverſarium refundat, ſive moderationem, ordinemque polliceatur.

De

De Narratione.

NArratio juxta mentem Cic. *rei explicatio eſt & quaſi quædam ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei*. Narratio ita ſumpta narratio eſt oratoria; eſt & alia narrationis definitio, quæ narrationem explicat, tum hiſtoricam, tum fabuloſam, eaque eſt: *Narratio eſt rerum geſtarum, vel quaſi geſtarum expoſitio*. Narratio ut plurimum ſubjicitur exordio; verum aliquando narrationi præmittitur refutatio, cum ſcilicet defendens orator alicujus vitam flagitiis inquinatam, prius amovere debet, quæ ſibi obſtant, quam alia enarrare &c.

Narratio duplex eſt, altera dicitur cauſæ narratio, hoc eſt, expoſitio rei, qua ſtatus continetur quæſtionis; altera rerum, quæ pertinent ad cauſam, & eſt expoſitio cujuſcumque rei.

Primo modo accepta, ea eſt, quæ ſecundam ſedem obtinet in oratione; ſecunda habet locum ubique, & ſæpe vim probationis ſortitur. Utraque duobus modis tractari poteſt. Primo, ſimplici ſtylo, & ſine ulla arte, vel amplificatione; 2. ornate, & copioſe, & cum magna oratoris induſtria.

Narrationem interdum præcedit præparatio, quæ eſt quaſi quædam janua, & aditus ad illam, eaque fieri ſolet, vel a perſona, vel a deſcriptione loci, vel temporis. In re gravi fit etiam a conſequentibus. Narrationi ſuæ ſint Veneres oportet; quare plures ſæpe infiniti modi in ea conglobantur ſuppreſſo verbo, unde regi poſſunt. Cic. *6.* in Verrem. *Iſte unumquodque vas in manus ſumere, laudare, mirari.*

Pro præterito præſens tempus uſurpatur. Cic. in 5. Off. poſt multa hæc habet. *Emit homo cupidus, nomina facit, negotium conficit, invitat Cannius poſtridie familiares ſuos, venit ipſe mature &c.*

Multa participia conglobatur. Cic. pro S. Roſ. *Pater*

ter occiſus nefarie, domus obſeſſa, ab inimicis bona ad-empta, poſſeſſa, &c.

Uſurpatur aliquando particula relativa qui. Cic. pro Mil. *Cum mihi inſidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparaſſet.*

Repetuntur eadem tempora quæcumque ea ſint. Cic. pro Mil. *Convocabat tribus: ſed interponebat: coloniam novam, delectum perditiſſimorum ſcribebat civium.*

Interferuntur voces ait, infit, inquit; Cic. *tum ille non ſum, inquit, neſcius.*

Verum ante has voces elegantius præmitti ſolent participia &c.

Denique ad brevitatem verba quædam, & aliæ nonnullæ voces narrando omittuntur. Cic. 6. in Verrem. *Dies unus, alter, plures*: Prætermiſſum eſt verbum prælabuntur.

Figuræ ornant narrationem; & hæ præcipue: Hypotipoſis, ſuſpenſio, exclamatio, epilepſis, hoc eſt increpatio, communicatio &c.

Monet Ariſt. in narratione ea ponenda eſſe, quæ animos auditorum commoveant; idque præſtabit orator, ſi conſequentia referat; ſi nota auditoribus ſint, quæ ſibi, quæque adverſario propria ſunt &c.

Narrationis virtutes quatuor ſunt, *probabilitas, brevitas, ſuavitas, perſpicuitas &c.*

Probabilis erit narratio; ſi nihil contra decorum dixerimus, ſed perſonas convenientes rebus iis, quas perſuadere volumus, conſtituerimus, ut ſi furti reum accuſaturi, prius oſtenderimus; cupidum fuiſſe, luxurioſum, egentem; hæc etenim vitia, in furem cadunt; quod quidem adeo narrationi eſt neceſſarium, ut id ſummopere curandum ſit in fingendis fabulis, monente Horatio: *ficta voluptatis cauſa, ſit proxima veris.*

2. Si prudentem quamdam ſimplicitatem ſervemus; ſi diligenter conſideremus in perſonis circumſtantias, eaſque educamus omnes, nomen ſcilicet, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes.

In

In natura conſideratur timidus ne aliquis ſit, an audax: robuſtus, an affecta valetudine; dives, liberalis, an avarus, aut prodigus, & hujuſmodi. Hoc conſiderat Cic. in Milon. n. 25.

In fortuna conſideratur nobilitas, divitiæ, iiſque contraria, & hujuſmodi: Affectio differt ab habitu, quod affectio facile mutatur; habitus vero eſt diuturnior, & per illum bene, vel prave afficimur ad quamlibet actionem. Vide eumdem Tull. pro Ligor. n. 3.

Per ſtudium intelligitur *vehemens quædam animi contentio in aliqua re agenda*. Orationes ſive obliquæ ſint, ſive directæ, ſermocinationes ſunt, quæ narrationi interſeri ſolent. Caſus ille dicitur, quod præter ſpem, & opinionem contingit.

Si ea afferamus, quæ cum hominum opinione congruunt, ut ſi vitam ruſticam, minime cupiditatibus obnoxiam eſſe dicamus.

Si loci circumſtantias educamus.

Ceterum, ut narrationem ſuam probabilem reddat Orator, prompte, quæ narrat, memoria recitet; curet, ut vera dicere aſſueſcat; ſatagat, ut vitæ probitate commendabilis ſit. Rem verbis propriis exponat non illis quidem ſordidis, ſed neque exquiſitis, & a communi uſu ſejunctis; ſtudioſe diſtinguat narrationem, rebus, temporibus, cauſiſque: omnia ponat initio. Denique nitido, ſimplicique dicendi colore narrationem ſuam contexat.

Brevis erit, ſi nihil in ea ſit mancum, nihil conciſum, aut decurtatum, nihil intricatum, nihil obſcurum.

Si paucis multarum rerum expeditionem amplectatur, præcipue cum tempus non ſinit commorari, aut res ipſa non longam exigit narrationem.

Si narratio longior ſit, eamque ob cauſam tædium auditori timeatur, partitione, & diviſione utatur Orator, eamque in capita dividat, apta, & prudenti interlocutione interrumpat, commotionem adhibeat, vel prolixitatis veniam poſtulet, quod paucis efficiendum advertat. Ex

Ex his patet, vitium non eſſe, ſi narratio ſatis longa ſit, cum res exponenda id exigat.

Suavis erit, ſi non pleno ſemper orbe decurrat, ſed identidem concidatur.

Si infinitis nonnunquam vocibus pro finitis utamur.

Si illuſtretur figuris, colloquiis, ſuſpenſionibus, ſermocinationibus.

Si magna, nova, & inaudita dicendo, admirationem excitemus.

Si metum, ſuſpicionem, deſideria, dolores, lætitiam, diſſimulationes, verbo uno mores hominum, & affectiones exprimat.

Si partim feſtiva ſit, partim gravis.

Si breves apologos, hiſtoriamque aliquam contineat, &c.

Quæ ſit in perſonis narratio, animos aperiat, & ſermones, habeatque multam feſtivitatem, rerum varietatem, gravitatem, lætitiam, ſpem, metum, ſuſpiciones, deſiderium, errorem, miſericordiam, fortunæ denique commutationem, & rerum exitus felices, & adverſos.

Perſpicua erit, ſi verba uſitata, & propria, & aliquid contineat quotidiano, familiarique ſermone ſimillimum, quod quidem non abhorret a narrationibus.

Nihil eſt cur aliquid moneam de vitiis narrationis; ſatis erit, ſi eam non careat virtutibus, de quibus diximus; vitia enim, quæ in narrationem cadere poſſunt, virtutibus jam dictis contraria ſunt. Tantum advertite, narrationes concludi epiphonemate ſolere.

De Egreſſione.

EGreſſio *eſt alienæ rei, ſed ad utilitatem cauſæ pertinentis extra ordinem excurrens tractatio.*

In oratione locum habet ubique, & non tantum poſt narrationem; neque eſt nova pars orationis. Cic. 4. in Verrem dicturus de Siciliæ incommodis, egreditur

tur prius in laudem ipſius Provinciæ his verbis: *Atque adeo antequam de incommodis Siciliæ dicam, pauca mihi videntur eſſe de provinciæ dignitate, vetuſtate, utilitate dicenda; nam cum omnium ſociorum, provinciarumque rationem diligenter habere debetis, tum præcipue Siciliæ Judices, plurimis, juſtiſſimiſque de cauſis; primum quod omnium &c.*

De Confirmatione.

Confirmatio, in qua tota ſpes vincendi, ratioque perſuadendi poſita eſt, definitur a Tullio, *perquam argumentando noſtræ cauſæ fidem, auctoritatem, & firmamentum adjungit oratio*; quod fit argumentis, de quibus ſatis ſuperius.

De Confirmatione nil aliud dicendum occurrit, niſi pauca de ordine, quo collocanda ſunt in oratione argumenta. Optimus igitur erit ordo, ſi priore loco, & in fine firmiora, infirmiora in media collocemus. Quod ſi cauſa duobus tantum nitatur, quorum alterum firmius ſit, imbecillius validiori ſubjiciat orator; ſed mox ad validius recurrat, caveat tamen, ne cum infirmiora argumenta recenſeat, inutilia coacervet; ſciatque argumentum pondere, non multitudine victoriam ſibi promitti.

Tullius primo firmat rem, quæ in quæſtionem venit, deinde volens, libenſque remittit aliquid, ut hoſti poſtmodum inſultet audacius.

Eſt & alia inſtituendorum argumentorum methodus, qua ſcilicet per gradus ſemper aſcendimus, ut ab infirmiore incipientes, gradatim aſcendamus, donec eveniamus ad firmiſſimum.

De

De Confutatione.

CONfutatio ſane opus eſt iſta confirmatione difficilius, accuſatori enim ſatis eſt, ſi verum eſſe oſtendat, quod objicit; defenſori non eſt ſatis negare, ni etiam transferat, excuſet, deprecetur, molliat, minuat, avertat, deſpiciat, diſſimulet, deflectat. *Eſt autem confutatio, contrariorum argumentorum diſſolutio; vel oratio, qua adverſariorum confirmatio argumentis diluitur, & infirmatur.* Tullius in part. hæc tradit confutationis præcepta n. 44. *Aut totum eſt negandum, quod in argumentatione adverſarius ſumpſerit, ſi fictum, aut falſum eſſe dicere poſſis; aut redarguenda, quæ ſumpta pro veriſimilibus ſunt; primum dubia ſumpta eſſe pro certis: deinde etiam in perſpicue falſis, eadem poſſe dici; tum ex iis, quæ ſumpſerit, non effici, quæ velint. Accedere autem oportet ad ſingula; ſic univerſa frangentur. Commemoranda ſunt etiam exempla, quibus ſimili in diſputatione creditum non ſit; conquerenda conditio communis periculis; ſi ingeniis hominum criminoſum expoſita ſit vita innocentium*: Hæc dicta ſunt de confutatione, & generatim a Tullio, quæ ut facilius intelligantur ad quædam particularia veniamus. Fit igitur confutatio

Primo. A repugnantibus, ut ſi oſtendamus, reum non his eſſe moribus, aut non ea vita, quæ congruat cum iis criminibus, de quibus arguitur; ſed ea tantum, quæ omnino repugnet.

2. Ab adjunctis perſonarum, vel accuſantis, vel rei, ut ſi quæ cruentæ manus ab adverſariis afferuntur, tamquam ſignum patratæ cædis, eas dicamus alias habuiſſe ſuæ cruentationis cauſas; vel ſi quod crimen reo objicitur, illud probemus adverſarios finxiſſe, vel odio in eum, vel ſcelere.

3. A circumſtantiis, ſi remotione cauſarum nullam perficiendi ſcelus, reo facultatem fuiſſe demonſtremus;

 vel

vel a re, tempore, loco, modo, aliiſque criminis circumſtantiis fictum eſſe crimen probemus.

4. A conſequentibus, ut ſi crimen aliquod admittere reum non potuiſſe doceamus, quod maxime ſibi noxium futurum ſapientia ſua prævidebat.

5. A negatione, ut ſi crimen penitus negetur dummodo id tuto fieri poſſit.

6. A loco communi, in quo antequam ad refutandum deſcendat, conqueratur Orator de miſera conditione temporum, deploretque commune bonorum omnium periculum, quod calumniis hominum expoſita ſit innocentium vita.

Si crimen negari non poſſit; primo vel criminis invidiam in alios detorqueat Orator; vel telum adverſariorum in ſuum ipſorum jugulum convertat, efficiatque, ut eorum rationibus in eos ipſos utatur.

2. Factum aliquod non eſſe vitio dandum oſtendat, quando qui graviora egerunt, laudem ex iis meruerunt, vel probet, vitium non eſſe illud, ſed virtutem.

3. Factum interdum diſſimulet, & alia confutatione obruat, vel innocenti fallacia auditorum animos a rebus ſibi contrariis deducat, pollicenſque ſe de iis, quæ ſibi objiciuntur, poſt pauca dicturum, ſenſim elabatur, aut ad aliarum rerum conſiderationem auditorem traducat.

5. Aliam ab eo, quam adverſarius affert, facti cauſam producat.

6. Crimen fateatur; donandum tamen afferat precibus amicorum, officiis, ac meritis.

Figuræ confutationis, præcipue hypotipoſes ſunt ſermocinationes, ſubjectiones, interrogationes, indignationes.

De

De Peroratione.

PEroratio tanti eſt in arte Oratoria, ut in ea omnes eloquentiæ nervos debeat Orator inſumere, apemque imitari, & poſtquam in dicendo orationem ſuam melle reſperſerit, in peroratione ſpiculum infigere, menteſque aculeata oratione ferire. Hoc etenim loco oratoris eſt animos flectere, fletum excitare, in riſum trahere, ad iram inflammare, incitatos temperare, revocare ab incœptis, incendere ad agendum, omnibuſque eloquentiæ nervis pugnare, ut victoriam poſſit referre. Advertere tamen debet, ut opus ſuum totum non abſumat in parando elaboratum exordium, ſed in principio ita parcat magnificis eloquentiæ pompis, ut in peroratione facili negotio eæ poſſint augeri.

Eſt igitur *peroratio artificioſus terminus orationis*, ſeu cum aliis *concluſio orationis*, & *motuum ſedes*.

Habet duas partes, enumerationem ſcilicet, & motum.

Enumeratio eſt, qua per totam orationem varie ſparſa uno veluti aſpectu ob auditorum oculos ponit orator, eo certe modo, quo grandem hiſtoriam in exigua tabella pictor proponit. Fit autem pluribus modis.

1. Cum repetuntur e regione argumenta, tum ab adverſario, tum a nobis pronunciata.

2. Cum eadem repetuntur non ex adverſo, ſed ſimpliciter prout oratio poſtulat, & ſuadet prudentia.

3. Cum ſimpliciter, & naturali quodam ordine ea repetuntur quæ ſparſim in oratione dicta ſunt; Advertat tamen orator, ut non omnia repetat, ſed illa duntaxat, in quibus maxime cauſa conſiſtit, quæque in auditorum animos deſcendere altius velit. Ceterum ſciat, efferenda eſſe verborum pondere, & ſententia-

rum, variandaque figuris ea, quæ repetuntur. Quare modo uti poteſt ironia, interrogatione modo, modo præteritione, ne omnia referre velle videatur, modo ſoluto dicendi genere, nullis adhibitis conjunctionibus, ſed membratim, & cæſim loquendo; modo tandem dubitatione velut anxius apud ſe perpendat, nunquid omiſerit, vel quid hic, aut ille judicaret.

De Motu, cum jam multa hoc loco, & alibi ſuperius dicta ſint, ſatis erit annuere, quod ſi laudamus, cum gratulatione, admiratione, amore, æmulatione lætitia perorandum eſt, ſi vituperamus, odium, invidia, contemptus cieri debet. In conſiliis capiendis ſpes excitanda, ſive explendæ cupiditatis, ſive ulciſcendæ injuriæ. Interdum proderit timorem injicere. In judiciis omnia concurrunt, amor, odium, invidia, indignatio, miſericordia, ſed eæ partim ſunt accuſantis, partim defendentis. Caveat tamen Orator ne in rebus minutis tragica moveat.

Hæc ſunt, quæ de partibus orationis dicenda mihi videntur, & quibus claudi quartum hunc librum oporret. Verum quia ad perfectionem orationis poſtremæ ſpectant rhetoricæ partes, diſpoſitio ſcilicet, memoria, & pronunciatio; ut brevitatis ſerviam, non incongruum duxi, ſi de illis aliqua hoc loco vobis proponerem; quare ſit.

De Diſpoſitione.

Diſpoſitio, quam *inventarum rerum ſuis quibuſque locis diſtributionem* definivimus, tantum ponderis habet in oratione, ut niſi illa optima ſit, nihil inventio, nihil valeat elocutio; quare judicium ſedeat oportet in diſpoſitionis limine tamquam regius cenſor, qui inventa omnia mature examinet, aliena repudiet, communia negligat, eligat pulchra, nervoſa, florida, & quod maximum eſt, recte ad rem collimantia. Diſpoſitio duplex eſt, verborum altera, altera rerum.

De

De verborum diſpoſitione nihil eſt, cur plura dicamus, cum jam ſatis multa dicta ſint ubi de elocutione ſuperius.

Rerum diſpoſitio duplici modo fieri poteſt, aut ex arte, aut ex tempore. Si ex arte, eum ordinem habeat oratio, quem ſibi præſcribit ars, ut ſcilicet primam ejus partem complectatur exordium, ſecundam narratio, tertiam confirmatio, quartam epilogus.

De argumentorum diſpoſitione paulo ante dictum eſt; hic ſatis erit annuere, quod ea præcedere debent, ex quorum intelligentia cetera pendent.

Ceterum quid primum, quid poſtremum eſſe debeat in oratione, quid adhibendum ſit in ſingulis cauſis, non facile definitur. Unum, quoad fieri poteſt, naſcatur ex alio, ſitque mutua quædam inter orationis membra connexio, quod fiet, ſi ſervetur ordo propoſitus, & in diviſione promiſſus. Ad hanc rem commodæ ſunt tranſitiones, quibus ab uno vel argumento, vel orationis capite devolvimur ad aliud; in defenſionibus cum reſpondendum eſt adverſario, ſequi illum ordinem debemus, quem ille tenuit. Ceterum hæc diſpoſitio tota pendet ex prudentiæ methodo, quæ quid locus, quid auditor, quid cauſa poſtulet, oratorem docebit. De diſpoſitione paſſim dicta ſunt multa inter has rhetoricæ præceptiones; unde nihil ultra progrediar, ut ſtatim agatur.

De Memoria.

MEmoria adeo neceſſaria eſt oratori, ut ex Ciceronis mente omnia præclariſſima in eo peritura ſint, niſi inventis, & excogitatis adhibeatur memoria, ex qua tamquam ex theſauro, & pœnu dicenda promanant.

Duplex eſt, alia a natura, alia ab arte.

Quæ eſt a natura, exercitatione augetur adſidua mentis agitatione, & frequenti rerum meditatione adjuvatur;

vatur; ſi per partes ediſcatur oratio; ſi delicatis herbis veſcamur, ſi optima ciborum digeſtio; ſi cibi, potuſque parſimonia, & a crapulis abſtinentia conſervetur.

Quæ eſt ab arte parum prodeſt, ni ſuam vim accipiat a natura. Adjuvatur tamen quibuſdam imaginibus, quibus reminiſcentia excitatur; quare proderit ſingulas periodos ſingulis a capite inſcriptis numeris apponere; rurſus quæ pars orationis e. g. de navigatione, ea connotari poterit anchora; quæ de bello armis; quæ de re ruſtica, ligone, & ſic de aliis; tandem proderit, nullo affectu vehementiori concitari, & cogitationum multitudine minimi diſtrahi.

De Pronunciatione.

PRonunciatio inter orationis partes ordine poſtrema, ſed prima poteſtate, oratoriæ artis totius omnem in ſe continet vim; omnis enim oratio languet, evaneſcit, emoritur, niſi eam actio animet varietate vocis, motu corporis, mutatione vultus. Idcirco nemo inter oratores ſummos adſcribendus, qui voce inſuavi, & immoderato geſtu oculos auditorum, & aures male afficiat. Patet igitur bonæ pronunciationis eſſe, vocem moderari & geſtum.

Vocis duplex eſt proprietas, quantitas, & qualitas, e quibus tum vitia, tum virtutes illius eveniunt.

Vitioſa igitur erit vox primo ſi ſit puſilla, qualis eſt eorum, qui pipire magis, quam loqui videntur.

2. Anguſta quæ non implet auditorum animos.

3. Si ſubſurda, quæ non exprimit verba, ſed in faucibus emoritur.

4. Si confuſa, quæ non diſtinguit ſonis, & articulis, quæ dicit.

5. Si rudis, & intractabilis, quæ magno negotio ſuum peragit curſum.

6. Si aſpera, quæ ſtrepitu aures offendit; ſi diſcerpta

pta, quæ imparibus ſpatiis, & ſonis dilaniat orationem; ſi ænea, quæ vehementi velut æris tinnitu, ferit aures; ſi acuta, quæ ſonantius quam par eſt, eaſdem penetrat.

Vox ſuas habebit virtutes.

1. Si erit alta, quæ firmis ſparſa lateribus aures impleat pleniſſime.

2. Si excelſa, quæ & plenius audiatur, & durabilis ſit.

3. Si clara, quæ clare perſonet.

4. Si prægrandis, quæ admixta ſuavitati laudatiſſima eſt.

5. Si ſuavis, flexibilis, culta, rotunda, tractabilis, volubilis, dulcis, canora, & plena.

Advertite vocem accommodandam eſſe rei, de qua agitur; ſicuti enim non convenit in frigidis exclamare; ita ridiculum foret in gravibus langueſcere. Proferatur perpulſa animi motu, ut ex perpulſis fidibus profertur ſonus. Lætitia lenem, hilarem, tenuem poſtulat vocem; metus demiſſam, abjectam, timebundam, exhitantem, commiſeratione plenam, flebilem, interruptam; ira acutam, incitatam, incidentem; mœſtitia gravem, & ſono depreſſam; & demum tot fiant vocis mutationes quot erunt animi affectiones.

Illud inſuper univerſis præcipitur, quod depreſſa vox adhibeatur in exordiis; ita tamen ut poſſit audiri, necnon verecunda, temperata, venuſta, & lenis.

In narratione aliquanto elatior, & quodammodo familiari ſermoni proxima ſit. In expoſitione validiorum argumentorum vehementior, acrior, & levior, & juxta naturam rei nunc attollatur, nunc deprimatur, nunc arrideat, nunc abhorreat. In concluſione attenuata ſit, & æquali ſono probata, ſi hortamur, ſi conquerimur depreſſa, & diſtincta crebris intervallis: ſi enumeramus, quadam incitatione gravis.

Geſtus, quem *mutam eloquentiam* appellavit Tullius, tanti eſt ut moderetur, ut quoniam per illum animi ſenſus dignoſcuntur, ſatis inepte ſe gereret, qui

iis,

iis, quæ profert, geſtum non accomodaret. De eo multa præcipiuntur; en vobis magis neceſſaria.

1. Vitandæ ſunt leves, & hiſtoricæ geſticulationes, quæ ſingulis verbis geſtum efformant; quare Orator meminerit, ſe ſaltatorem non eſſe, & ad ſenſum magis, quam ad verba geſtum accommodet.

2. Componendus eſt vultus decenti compoſitione, ita ut recta ſit facies, non detorqueantur, non mordeantur labia, non corrugentur nares, non immodicus hiatus diſtendat rictum, non ſupinus ſit vultus, non dejecti in terram oculi, non inclinata cervix, non elata, aut depreſſa ſupercilia, non rigidi, non extenti, non languidi, non torpentes, non laſcivi, non mobiles, non poſcentes, pollicenteſque aliquid oculi eſſe debebunt.

3. Pectus ad ventrem projicere indecorum eſt, variare ſupra modum extando, deforme; quibus, ſi motus accedat, prope obſcœnum.

4. Vultus Sententiarum ſenſum præjudicare debet; quare cum ridentibus rideat, cum triſtibus mæreat, cum iratis iretur.

5. Oculi, caput, facies tali geſtu conformentur, ut ſenſum exprimant; brachium, & manus actionis potiorem partem ſibi vindicant, habentque plures ſignificationes: brachium tamen tanquam telum adhibetur in contentione potiſſimum, in narratione non nimium, ſed cum decore movetur.

6. Manus hinc inde extentæ diſponantur intra ſuggeſtum, dextra incipiat motum a medio pectore, tendatque in latum dexterum mediocri diſtantia, aliquando recto, alias flexuoſo ductu, prout membrum uno, aut pluribus conſtabit inciſis; geſtus enim uti cum voce inchoandus, ita protrahendus ad finem vocis, & ſenſus.

7. Si periodus conſtabit tribus, vel quatuor membris, ſecundum, vel tertium occupet ſiniſtra, quæ cum dextera ultimam, totamque claudat ſententiam, iterumque deponenda manus hinc inde intra ſuggeſti limbum,

bum, ubi orationis calor percrebuerit, geſtus etiam citatior ſit, adhibeatque eos modos, & motus, quos ipſe impetus requirit. Liberi homines, ut Matronæ, ſenes, juvenes, milites, gravitatem præſeferre debent in inceſſu, & verbis; homines illiberales, ut paraſiti, ancillæ &c. citatius ſe movent. Veſtis debet eſſe talis, qualem exigit locus, & perſona eniteat urbano cultu, ſed reſpuat urbanam mollitiem.

LIBER QUINTUS.

De tribus cauſarum generibus.

CUM orationum tria ſint genera; aliæ enim ad pompam magis, quam ad pugnam aptæ ſunt; aliæ refellunt, vel approbant, excitant, vel retrahunt; aliæ tandem, vel ad reos damnandos, vel ad innocentes tuendos collimatur; hinc naſcitur triplex cauſarum genus, & cum ad demonſtrativum primæ, ad deliberativum ſecundæ, ad judiciale ſpectent poſtremæ, manifeſtum eſt ex cauſarum generibus aliud eſſe demonſtrativum, deliberativum aliud, aliud judiciale. Demonſtrativum uſuvenit oratori ad laudandos bonos, & improbos vituperandos; deliberativum in conſultatione poſteri temporis: Judiciale in diſceptane præteritorum. In ſingulis igitur cauſarum generibus ſingularum rationum monita ſunt nobis in hoc poſtremo noſtræ facultatis libro afferenda, quæ ut recto ordine procedant, agimus primo

De Genere Demonſtrativo.

QUoniam demonſtrativum genus ad laudem, & vituperium diffunditur, perſpicuum eſt materiam illius eſſe virtutem, & vitium, ceteraque, quæ

cum

cum illis conjuncta ſunt; hæc etenim laudari poſſunt, ac vituperari. Rerum igitur, quæ in vituperationem, ac laudationem venire poſſunt, duplex eſt ſpecies; altera complectitur res; altera rerum attributa. Quapropter non Deum tantum, & hominem, ſed animantia quoque, & res inanimes, earumque attributa omnia, quæ rerum proprietates vocamus, convenit laudare; ad eum profecto finem, ut per delectationem virtutis commendatio, ac vitii deteſtatio, quæ in auditorum animis honeſtatis amorem, & odium turpitudinis infigat, altius erumpat.

In perſonis tria laudantur, animi bona, corporis; & fortunæ.

Fortunæ bona conditionem complectuntur & facultates. Conditio genus comprehendit; vel infame, tum propter ſcelus aliquod grave, tum propter conditionem abjectam; vel illuſtre majorum virtutibus, & nobilitatis inſignibus, quæ cum ab aliis ornamentis petatur, ideo nativitatis modus, & tempus, nomen, & educatio, ceteraque ejuſmodi huc ſunt revocanda. Facultates divitias continent, honorum gradus, & nominis æſtimationem.

Inter bona corporis forma numeratur, robur, valetudo, ſexus, quibus accedunt & facta, quæ licet a corpore ſimul, & animo pendeant, conjunguntur tamen cum bonis corporis.

Animi bona, partim reſpiciunt voluntatem, partim rationem. In voluntate virtutes ſitæ ſunt, in ratione aditus ad virtutem, cognitio ſcilicet, & actio: Cognitio prudentiam domeſticam, & civilem complectitur primo; ſecundo rerum divinarum, & humanarum ſcientiam, ut Theologiam, Philoſophiam, Eloquentiam, & ceteras liberales diſciplinas, & hæc dicitur Sapientia: actio virtutes comprehendit, continentiam rerum abſentium, abſtinentiam præſentium, liberalitatem, & animi celſitudinem, in periculis injuriiſque tolerandis fortitudinem contra venientia, conſtantiam ad præſentia, patientiam in obitis malis, juſtitiam, religionem erga Deum, & ſuperos, pietatem erga parentes, fidem

dem in rebus creditis, lenitatem in animadvertendo cum moderatione; quæ ſingula animi bona, ſi jam habitus evaſerint, non in voluntate, ſed in ratione reponenda videntur.

Hæc ſunt quæ laudi materiam ſuggerunt, quibus ſingulis bonis ſi ſingula mala, & virtutibus vitia opponatis, & quot inde ad laudem, tot ad vituperationem fontes habebitis; de quibus in utramque partem mox ſingillatim loquemur.

Laus a Fortunæ bonis.

QUÆ a fortunæ bonis ducitur laus, e conditione, ut diximus, petitur; ſed inde ex multiplici fonte, &

1. A Patria, ſi nobilis ea ſit, & multarum maximarumque civitatum Princeps: ſi celebris propter inſignem aliquam virtutem: ſi inſignis plurimis illuſtribus viris, honoribus, Divis, Principibus, quos tulerit divinis conditoribus, quos habuerit: ſi optime ab optimis adminiſtretur: ſi fertilis ſolo amæna loco, commoda ſitu, felix cœli, & poli elementia: ſi mœnibus; templis foris, ædibus præclara: ſi legibus, armis, moribus inſignis. Verum ſi patria ignobilis ſit, doceat Orator parum ad gloriæ decus patrium ſolum conferre, monſtretque illuſtratam magis virtutibus illius, quem laudat, quam illuſtrari ipſe potuerit, ſi ex nobili ſolo natalem ſuum duxiſſet.

2. A parentibus quatenus in filios, aut ſatu ipſo, aut morum imitatione, & diſciplina, & vitæ dignitas, & honeſti ratio, quædamque illorum ſimilitudo, a parentibus creditur dimanare &c.

3. A nobilitate; ſi antiqua; ſi virtutibus, boniſque moribus conjuncta; ſi multis honoribus, & dignitatibus illuſtrata; ſi heroicis facinoribus aucta; ſi liberalium artium diſciplina exculta, quæ quidem plurimum ad laudem conferunt, vel communia ſint totius familiæ, vel particularia illius, quem laudamus. Verum nobi-

nobilitas ipſa per ſe laudanda eſt; vel quod ea ſolum ſine adjumento virtutum Principem hominem faciat, & dignum imperio; vel quod nutricula ſit, & parens omnium virtutum.

4. A nativitate, in qua conſideratur primo tempus illius, dies ſcilicet, menſis, annus, ſæculum; an infauſti; an felices: an eo tempore natus ſit vir aliquis illuſtris. Secundus modus nativitatis, ut ſi beatus, & ſalutaris alicui fuerit ille natalis. Tertius præcedentia nativitatem, ut ſi ipſam miranda quædam præceſſerint, qualia ſunt divina oracula, ſomnia, portenta. Quartus quæ infantem ipſum attingunt, ut illud, quod dicitur de Zoroaſte, qui vix natus ſolutus in riſum eſt, & aliud de Platone, cujus in ore infantis apes mellificarunt.

5. Ordo nativitatis, ut ſi prior natu egreſſus in lucem fuerit.

6. A nomine, quod aſſumi poteſt ad laudem; vel quia ex aliqua cauſa, ob virtute nimirum, delatum alicui ſit; vel quia ſignificatione ſua, vel omine fauſto Hominem excitet ad aliquod obeundum; vel quia ab illuſtri aliquo viro exceptum ſit.

7. Ab educatione, ut primo ſiquis educatus dicatur a propriis parentibus in ſinu caſtæ matris, & in opibus clariſſimorum virorum; ſecundo ſi enutritus inter bonos, & longe ab improborum conſortio; ſi a bonis, & magni nominis præceptoribus inſtructus, ita ut ipſis puerilibus ludis ad ſanctitatem, ſcientias, & liberales diſciplinas fuerit enutritus.

Quæ ſumitur laus a facultatibus, illa ducitur primo ab opibus, & divitiis; ſecundo ſi cum virtute conjunctæ ſint, nec divitem hominem ab illius tramite revocent; tertio ſi ad liberalitatem, & munificentiam homini ſint incitamentum, quarto ſi liberalium artium adjunctam habeant cognitionem; ſi non ambitæ cum non habitæ, ſpretæ cum conceſſæ, neglectæ cum oblatæ.

2. Ab honoribus; primo ſi dignitatis gradum, quem habet,

habet, ab eo obtinuerit, qui dignos tantum promovere ſolitus ſit; ſecundo ſi dignitatem conceſſam virtutibus ſuis meritus ſit, aut aliis honorum gradibus ad illius faſtigium evaſerit; tertio ſi non ambitioſus in petendis honoribus fuerit, imo dignitatem oblatam coactus admiſerit quarto ſi ob honores acceptos inſolens factus non ſit, ſed humilitate, ac modeſtia majeſtatem temperet. 5. Si ut dignitate, ita exemplo, ceteros præſtet.

3. A felicitate, ſeu ridenti fortuna; primo ſi tam facile, quam celeriter, quæ voluerit, conſequatur; ſi hoſtes viciſſe, vidiſſe fuit; ſi urbes eodem tempore obſidione intercludat, & labefactatione recludat; ſecundo ſi non tantum multa requirat, ſed etiam placide potiatur; tertio ſi adeo felix ſit, ac fortunatus, ut reliquis etiam felicitatem imprtiatur; quarto ſi res ſecundæ animum ejus, & mores non mutaverint ad jactantiam, ſed certe in melius ad modeſtiam; quinto in ſingulari quadam, ac divina felicitate ita felix extiterit, ut numen aliquod divinum eſſe videatur, ſi in bellis adfuerit, & alacritatem, animoſque ſolito majores addiderit militibus, qui non ad pugnam, ſed ad victoriam, cum in aciem deſcenderint, duci videbantur.

Si fortuna inimica fuerit, & adverſa; vel dicatur communes omnibus eſſe ſiniſtros eventus, neque a quoquam evadi poſſe; vel inde amplioris laudis petatur occaſio; vel quod infortunium illud fortunatum fuerit; vel quod caſus ille acciderit, cum nemo eſſet, qui jacentem reſpiceret; vel quod fortiter patienterque adverſa tulerit fortuna; vel quod poſt lapſum ad altiores honorum gradus aſcenderit.

Laus a bonis corporis.

LAUS a bonis corporis pluribus e fontibus manat; & quidem

1. A pulchritudine; primo quod humanorum bonorum illuſtriſſimum, & jucundiſſimum tam Diis, quam homini-

minibus ſit, ſi habeat potiſſimum venuſtatem, & gravitatem; terrorem, & hilaritatem; confuſaque in homine ſit cum jucundo, & fero vultus aſpectu. Secundo quod ſit indicium pulchrioris animi. Tertio quod argumentum & comes virtutis. Quarto quod divinitatis indicium. Quinto quod regium ſit ornamentum, pulchroſque homines dignos faciat imperio.

2. A robore ſeu corporis viribus primo quod viri magni nominis, hujus virtutis gloriam, & formam ambitioſius affectarint; ſecundo quod hæc virtus dicatur homines imperio dignos efficere; quodque variæ nationes, ut fuerunt Medi, principatus dignitatem non aliis deferebant, niſi iis, qui proceritate corporis ceteris præminebant; tertio quod variis præmiis olim donari ſolerent fortes homines, ac robuſti; quarto ſi cum animi fortitudine conjungantur corporis vires; ſi non arroganter glorietur ob virium fortitudinem, ſed potius acceptum Deo referat quidquid feliciter geſſerit, qui virium robore pollet, ampliore laude dignus evadit.

3. Ab ætate primo ſi honeſtis ducatur affectibus; ſecundo ſi matura quadam virtute præoccupata ætas illa ſit, & a vitiis immunis, & integra; tertio ſi virtutis, quam ætatis curſus fuerit celerior, ut ſi quis probatus fuerit ævi quidem immaturus adoleſcens, ſed maturus imperio; quarto ſi a prima ætate ad virilem uſque ita ſe geſſerit aliquis, ut nihil unquam in vita expetendum putarit, niſi quod eſſet cum laude, & cum dignitate conjunctum, Diis proximus ille erit putandus; ſin autem iis obnoxius fuerit, in quæ ætas illa prolabi ſolet, excuſari iſte merito poterit, quod non ex animo, ſed ex naturæ blandientis impetu ea veniant delicta.

4. Ab honeſtis corporis exercitationibus & primo ab equitatione; ſecundo a venatione; tertio ab exercitatione campeſtri, tum quod in adoleſcentibus ſunt futuræ virtutis indicia; tum quod in Regibus, ac Principibus ſunt honeſta majorum rerum argumenta bellica pacis exercitia.

5. Ab

7. Ab honeſtis animi ſtudiis; primo ſi doctus ſit, & abunde liberaliter diſciplinis inſtructus; ſi erga eaſdem diſciplinas, & litteratos homines optime affectus; tum quod ipſa virtus, & morum honeſtas longe nobilior, illuſtriorque putetur, ſi litteris conjuncta fuerit; tum quod docti homines a vitiis alienis creduntur, & virtutibus inſtructi, prudentia præcipue, & rerum providentia, quas litteræ plurimum juvant, necnon modeſtia, manſuetudine, ac temperantia, ad quas ſtudia nos impellunt; tum quod Scientia inſtrumentum eſt ad magnas res, tum quod magnos facit homines, & ad magna idoneos.

Laus a bonis animi, ſeu virtutibus.

TOT ſunt ab animi bonis laudis fontes, quot ſunt virtutes, inter quas commendatur.

1. Prudentia, quæ in rebus omnibus tum publicis, tum privatis reperiri debet, habetque plures adminiſtras, memoriam nempe, & cognitionem rerum præteritarum, intelligentiam præſentium, docilitatem, ſeu notitiam ex inſtitutione comparatam, ſolertiam, & ſagacitatem inveniendo, & conjiciendo, rationem, quæ argumentatione, & ratiocinatione concluditur; providentiam, ideſt rerum diſpoſitionem idonearum ad finem conſequendum, circumſpectionem, attentionem ſcilicet ad circumſtantias rerum, cautionem, hoc eſt monitionem mentis quamdam adverſus ea, quæ ſeſe objiciunt impedimenta. Commendabitur igitur ex hoc capite vir prudens.

1. Quod ejus animus ac ſi aliquod oraculum, aut mentem aliquam divinam habeat, quæcumque videat, proſpiciat, perficiat.

2. Quod facile aliorum audiat conſilia.

3. Quod iis ad conſilium utatur, qui non cæco impetu, ſed recto rationis judicio ducuntur.

4. Quod depoſita mentis pertinacia lubens audiat eorum ſententias, qui de re propoſita judicium exprimunt.

5. Quod loco, & tempore ſententiam mutet, ac etiam cum ratione deponat.

6. Quod turbidis animi motibus compoſitis, rerum ordine ſervato, intentam cogitationem habeat, ut decore, prudenterque fiant omnia.

7. Quod rerum curſum intueatur, actionesque præteritas, & negotia vocet in judicium, & examen.

8. Quod non temere cuiquam arcana ſui pectoris aperiat, committatque res ſuas; ſed priusquam illum in conſilium adſciſçat, cognoſcat, quo animo ille ſit, & intueatur ſagaci mente, num res ſuas acturus ſit, an ardore cupiditatis, & invidiæ cujuſdam feratur.

2. SAPIENTIA, qua commendari poterunt ſapientes homines,

1. Quod ii credantur rerum adminiſtratione digni.

2. Quod divina quadam mente participes ſint.

3. Quod eorum dicta tamquam oracula quædam celebrentur quæ ſequi cupiat ventura poſteritas, & ſi rerum natura pateretur, adſcribi ſibi vellet antiquitas.

4. Quod divina quadam eloquentia præditi ſint.

3. TEMPERANTIA, quam hoc loco eamdem facimus, ac frugalitatem, cujus eſt ita res omnes componere, ut vir temperatus nihil ſuperfluum, aut luxurians domi ſuæ patiatur. Hæc virtus in Regibus, ac Principibus præcipue commendabilis eſt, &

1. Cum aut in eorum victu, cultuque corporis, & elegantia nihil profuſum, ſolutum nihil, ac languidum eſt; aut in cibo, aut in potu non præcipua, aut exquiſita præ ceteris, ſed vulgaris, quotidianaque eſt ratio; aut veſtitus non ad elegantiam, & ad oſtentationem pretioſus, ſed ad uſum, & neceſſitatem eſt factus.

2. Cum non abjecto nitidus, & ſordido in iis omnibus corporis cultu dignitatem deprimit; ſed medio-

critatem ſervando, non aliteramat, quam bellico pulvere, aut ornari, aut ſordeſcere.

3. Cum frugalis ſimul, ac liberalis ſibi tantum eſt parcus, in alios vero profuſus.

4. Cum ita parce cibis utatur, & vino, ut non ebrietate vitium, ſed virtutes ſobrietate nutriat ac foveat.

4. LIBERALITAS, in cujus laudem conſiderandum eſt, quantum, quid, quando, quomodo, quibus largiri conveniat, & quo fine tum detur.

1. Quidem liberalitatis munera, aut publica ſunt, aut privata, pecuniæ, vel agri, præſertim in Principe; urbium cura, nundinarum, & Annonæ: moderatio in tributis, & vectigalibus exigendis, quæ populos ſupra vires gravari non patiatur, quæque interdum vectigal, aut totum, aut ex parte remittat, ſi illud præcipue exigatur, ut ab hoſtium incurſibus populus defendatur: mens, & ratio in conferendis magiſtratibus; ſi ille eligatur, qui morum probitate conſpicuus pro ſuo jure ſedem illam honoris ſibi polliceri poſſit: munificentia in ædificiis, vel nobiliter reparandis, vel de novo excitandis, præſertim ſi communis utilitas in iis ſit: celeritas in iis perficiendis, & perpetua eorum duratio.

2. In donando nemini habenda eſt ratio; quamobrem laudem promeretur liberalis homo, ſi bonis det, & juſta petentibus, non adulatoribus, & injuſta rogantibus; ſi miſeris, & afflictis amicis, maxime vero ſi donis ſplendidis uſus ſit, & verbis pie conſoletur; ſi benemeritis, præſertim afflictis; ſi non merentibus; ſi non civibus tantum, & domeſticis; ſi exteris etiam, & remotiſſimis populis; ſi non poſtulantibus quorum verecundiam jam antevertat; ſi pueris ad eorum inſtitutionem; ſi iis, quibus jam ſæpius bene fecerit; ſi impiis etiam, non autem, ut eorum foveat vitia, ſed ut a flagitioſa vivendi ratione revocet.

3. Moderata debet eſſe liberalitas, ut commendabilis ſit, donandumque quantum res ipſa familiaris patitur;

titur; nec plus erogandum, quam domeſtica ratio poſtulet, aut ferre poſſit; vitium enim eſt opes ſuas prodige effundere.

4. Ut dedecus eſt, & rapina ex alieno donare, ita de ſuo maxima laus.

5. Laudem non meretur moroſa liberalitas; ideoque prompte donandum, & celeriter, hilariter, & jucunde, libere, non coacte, ultro, & gratuito.

6. Si ſpectetur finis, ille liberalis eſt, qui ſolo honeſtatis amore ducitur, non ut dedecus extinguat, vel ſubitos placet, quique nulla ſpe retributionis donat.

5. MUNIFICENTIA, quæ cum liberalitate magnam habet ſimilitudinem, quæque magnis in rebus magnos, & decoros ſumptus præſcribit: tria ſunt operum ac ſumptuum genera: Sacra, publica, & privata. Sacra ea ſunt, quæ Deum, & religionem reſpiciunt, ut donaria in templis dicata, materia vel opificio, mirifica, Sacrarum ædium conſtructiones, ſupplicationum illuſtres pompæ, & quæcumque ad divinum cultum referuntur. Publica ea vocantur, quæ ad commune bonum, & civium, aut patriæ utilitatem, atque decus pertinent; hæc ſunt urbium munitiones, inſtaurationeſque magnificæ, ſtratæ viæ, porticus, aquæ ductus, muri, Navalia, congiaria, epulum, donationes, & hujuſmodi. Privata ea ſunt, quæ ad privatum, ac domeſticum uſum ſpectant, quæ ſingula tum privata, tum publica, ideo laudem merentur, ſi honeſtatem habeant, utilitatem, & diuturnitatem.

6. PUDICITIA, ET CASTITAS, cujus cum inveniantur ubique offenſiones quam plurimæ, ex ea quidem cuilibet uberrima laudum meſſis emergit, ſed adoleſcenti præcipue, eoque pulchro, & fortunato; adoleſcenti inquam, quod lubrica ejus ætas ſit, & ad vitium facile flectatur*; pulchro* quod iis maxima ſit inter pudicitiam, & venuſtatem; fortunato, cui licere videtur, quod lubet Verum pudicus homo commendari poteſt

1. Ab

1. Ab oculorum modeſtia, qua muliercularum curioſum conſpectum fugit, & lubricam ſocietatem.

2. A victrici fuga, qua puellarum commercium, corruptoreſque caſtitatis, eaque omnia, quæ caſtitati adverſantur, devitat.

3. A nuptiis in ipſo adoleſcentiæ ingreſſu celebratis, tamquam iis ſibi occaſionem ademerit non aliis voluptatibus fruendi, quam iis, quæ conceduntur.

4. Ab ipſo conjugio, quod Sanctum ſit, ſervatis pudicitiæ legibus.

5. A cœlibatu, quo ab omnibus voluptatum blandimentis ſe ſubripiat.

6. A diligenti cuſtodia caſtitatis; ſi non ſe cupidius in luxum, deliciaſque ingurgitet, ſi lautitias reſpuat, ac nimiam mollitiem; ſi cupiditatem immoderatam comprimat; ſi alio pœnitentiæ genere ſibi dolorem inferat; ſi Deum adeat, ac precibus interpollet regem caſtitatis, atque in ſinum magnæ Matris, virginumque Reginæ confugiat; ſi Sacramentorum denique uſum adhibeat in tutelam; ſi cum ſceleratis nullam ſocietatem ineat, ſi non minus ſevero vultu, quam verborum aculeis eos verberet, qui dicto, vel facto pudorem lædunt; ſi nihil patiatur in ædibus, quod caſtitatis amantes oculos offendat, & procul amandet turpes hiſtorias picturis illuminatas, vel filis inter Periſtromatis inſutas; ſi turpia Mimorum ſpectacula, & comædiarum devitet.

7. ANIMI MAGNITUDO, in qua laudamus

1. Rerum ſublimium, ac honeſtarum appetitum, famæ ſcilicet, immortalitatis, & gloriæ.

2. Contemptum rerum omnium terrenarum, præmiorum, divitiarum, periculorum, & mortis ipſius præter unicam nominis gloriam, quam ſolam magnanimi intendunt.

3. Rerum magnificarum cogitationem, nunquam humilium, & abjectarum,

8. FORTITUDO, cujus laudes ſunt, ſi quis animo impavido pericula contemnat, repellat, & fran-

gat; ſi in eadem ſe immittat; ſi fortiter excipiat.

9. CONSTANTIA qua quis laudari poteſt, primo ſi in re ſemel ſuſcepta contineat animum adverſus omnes minas, ac terrores.

2. Si difficultatum objectum non frangatur; ſed potius audacior fiat, nec potius deſiſtat, quam boni propoſiti conſecutionem attingat.

3. Si denique firmus, & immutabilis ſit, vel ſibi arrideat, vel adverſetur fortuna.

X. PATIENTIA, qua commendamur primo ſi res adverſas non inviti toleremus.

2. Si moderate feramus injurias.

3. Quod qui gravia moderate tulit, toleravitque patienter, regno dignus, & imperio credatur.

4. Quod mala experti, longe in alios ſe melius gerunt.

XI. JUSTITIA, ET RELIGIO IN DEUM, ET SUPEROS, qua homines ſpectabiles ſunt.

1. Si tum corporis, tum naturæ, tum animi bona, ſoli Deo benegrati, accepta referant omnia.

2. Si divinum nihil ſibi unquam affingant.

3. Si in rebus divinis pietatis ſenſum, in ſacrorum ceremoniis frequentandis modeſtiam, in uſurpandis reverentiam, in commendandis ardorem, & induſtriam præſeferant.

4. Si Deum templis, & donariis colant.

5. Si precibus, ac vocibus ſupplices adeant; ſi propagandæ Eccleſiæ, atque amplificandæ religionis ardore conflagrent; ſi templorum ruinas inſtaurarint; ſi priſtini cultus decorem reddiderint urbibus, hæreticorum audaciam repreſſerint, ac debilitarint, Catholicorum fiduciam erexerint; ſi ſacra religioneſque ſanctiores tueantur; ſi honore, & obſervantia Sacros Antiſtes proſequantur; ſi proſtratos in tutelam receperint; ſi ſedibus ſuis reſtituerint, ſi inter ipſos ſedere, cum ipſis pſallere, hymnoſque componere glorioſum ducant; ſi tandem cœleſtes ſpiritus, aut divinum

vinum nomen ſibi interdum auxilio veniſſe glorientur.

XII. JUSTITIA, ET CHARITAS in patriam, qua laudem promeremur

1. Si pro ea non dubitemus ſubire labores, & pericula, mortemque ipſam oppetere, ſi modo profuturi ſimus.

2. Si beneficia, quæcunque illa ſint, in eam contulerimus.

3. Si illatas injurias gravius, quam nobis factas ulciſci voluerimus.

XIII. PIETAS IN PARENTES, cujus laudes ſunt.

1. Si illorum obſervantes ſimus.

2. Si dictis obtemperantes.

3. Si grati, & benefici.

4. Si preces, & vota pro eorum longiori vita faciamus.

5. Si ſummis poſt mortem honoribus eos proſequamur.

XIV. PIETAS IN FRATRES, quæ lucet

1. In amore, & concordia, qua vivunt inter ſe, ſummis licet in honoribus.

2. In obſequio, quo ſeſe invicem venerantur.

3. In beneficiis, quæ alteri licet interdum immerenti alter confert.

XV. In Principes amor & veneratio, quos ſi ut terreſtres Deos veneremur, eorumque omnia magni faciamus, magna commendatione digni exiſtimabimur.

XVI. In præceptores, & ſenes honor, & obſervantia, quæ laudes nobis nanciſcitur

1. Si præceptores obſervemus obſequiis, & officiis, eoſque grato animo colamus.

2. Si ſenibus aſſurgamus, eoſque veneratione proſequamur.

XVII. Charitas in omnes, quæ homines commendabiles facit.

1. Si ægrotos amicos inviſitent,

2. Si in rebus adverſis opem ipſis ferant.

3. Si ſincero amore diligant, qui tamen ab juſtitia diſcedere non debet.

4. Si æqualitatem inter impares aliquam faciat, nec potentior in inferiorem, viribus ſuis innixus, prævaleat.

5. Si cum magna fiducia verſetur inter amicos, etiam ſuſpectos.

XVIII. Fides, quæ eſt perilluſtris ad laudem; ſi conventa, & pacta ſine tabulis, & ſignis, fideliter demus; ſi ſtemus verbis, & promiſſis, ſi hoſtibus eam quoque præſtemus, poſtpoſitis etiam magnis commodis.

XIX. Clementia, quæ maxime imperatoribus decora, eos commendat:

1. Si prorſus a ſanguine abhorreant.

2. Si debitas victis pœnas omnes remittant.

3. Si quando ducantur ad puniendum, id coacti faciant, nec per ſe, ſed per aliquem alium.

4. Si victores offenſi nedum victis vitam, ſed libertatem, & fortunas redonarint.

5. Si aliquibus vincula injecerint, non ut eos, punirent, ſed ne ſe reddiderint indignos clementia, quod iis accidiſſet, ſi impune abeuntes, occaſionem peccandi iterum arripuiſſent

XX. JUSTITIA, ET SEVERITAS, quæ Principes ad immortalitatem nominis vehit,

1. Si nihil contra jus, aut obtineri per gratiam, aut per metum expugnari, aut impetrari precibus, aut utilitatis aliqua ſpe remitti, ac condonari patiatur.

2. Si hominibus, & Deo debitum ſolvat, illis quod ſuum eſt reddendo; huic cultum, timorem, & amorem.

3. Si ſaluberrimis edictis, ac ſeveriore rerum diſciplina impios coerceat.

4. Si æqua lance ſine perſonarum exceptione præmia, ſuppliciaque decernat.

5. Si

5. Si in deligendis Regni præfectis, & adminiſtris, non gratiæ, non favori, non opibus, non nobilitati quidquam det, ſed optimos quoſque morum integritate, prudentia, ſapientia, litteriſque commendatos muneribus regni præficiat.

6. Si Sapientibus & ſenibus, qui naturæ ſunt temperatæ, in conſiliis utatur, & conſtantiam adhibeat.

7. Si tantum faciat, quantum jure poſſit, quantum liceat, quantum deceat, quantum honeſtum ſit, & juſtum.

8. Si nihil ex arbitrio faciat, ſed juxta leges, & jura pronunciet; ſtatutis juris obtemperet, non indulgeat propriæ voluntati, nihil paratum, & meditatum e domo ferat, ſed ſicut audit, ita & judicet.

9. Si judicaturus, non odium, non invidiam, non metum, non libidinem, non cupiditates, ſequatur; ſed habeat in conſilio conſuetudinem, leges, religionem, æquitatem, & cenſcientiam. Si tandem ut hoſtes ſuos frænet, in eos ſit juſte ſeverus.

XXI. VERECUNDA MODESTIA, quæ cultores ſuos laudibus effert.

1. Si honorum, & dignitatum gradus quos alii avide ambire ſolent, contemnant, fugiantque.

2. Si moderatis contenti ſint, cum ſummos obtinere poſſint.

3. Si nullum admittant, niſi conſtet apud omnes, illum ſibi meritis ſuis pridem deberi.

4. Si ſe præbeant legibus, inſtitutiſque Reip. pareant, quamvis ob dignitatem, & poteſtatem ſummam illis teneri non videantur.

5. Si quos honores vix admittunt, eos tantum admittant, ut ſuperiorum, vel parentum voluntatibus obſequantur.

6. Si benevolentiæ, ac optimæ voluntatis ſignificatione peramenter, & humaniter ampleſtantur omnes, & præveniant.

7. Si ſuprema in dignitate locatis, demiſſe, & humili-

militer ſe gerant, nihil unquam glorioſe de ſe prædicent, nihil ſentiant; ſed ut in lingua ſervent ſilentium de ſe, ita in fronte ruborem explicent.

De Vituperatione.

QUæ diximus de laude, eadem in contrariam partem ſumpta ad vituperationem facere poſſunt, ut a parentibus, ſi qui nati ſunt claris genitoribus, ab iis degeneres fuerint; a nobilitate, ſi nuda virtutibus ſit; a proceritate, & viribus corporis, ſi jactabundæ ſint, & ſuperbæ; a pulchritudine, ſi laſciviens, & inverecunda; a divitiis, ſi ſordide retentæ, ſi ad turpitudinem effuſæ, ſi ad faſtum, & elationem inſumptæ, & ita in reliquis. Sin autem nulla inſint, vel fortunæ, vel corporis, vel animi bona, quæ contraria ſunt laudi, ea vituperationi deſerviunt.

De Diſpoſitione & Elocutione Generis Demonſtrativi.

PRo hac re multa conſideranda videntur.

1. Stylus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigari debent lepores, delectus ſcilicet verborum, concinnitas, & figuræ, quarum præcipuæ ſunt Antitheſes, Iſocola, Diſtributio, Proſopopæja, & aliæ his ſimiles.

2. Argumenta, quæ plus habere debent ſuavitatis, ac ſplendoris, quam incitati caloris, & vehementis impetus, & in quibus tractandis talis eſſe debet Orator, ut quæ per ſe pulchra ſunt, & excelſa, grato quodam orationis flore veſtita proponat, multis ſuavitatis condimentis temperet, ſententiis exquiſitis exornet, cùm inſigni varietate doctrinæ; ad quam rem maxime conferunt definitiones conglobatæ, partium enume-

merationes, adjuncta, ſimilitudines, effecta, contraria, ſententiæ graves, fluenteſque periodorum exitus.

3. Modus, quo ita ſe gerere debet in laudationibus orator, ut quidquid laudandum ſuſcipiat, honeſtæ laudis materiam, & argumentum præbeat, nec veritatem velit augere mendacio; quare procul abſint aſſentationes, abeant longe falſa, & quæ vera amplificatione augentur, cum moderatione augeantur.

4. Exordium, quod omnibus eloquentiæ floribus inſtructiſſimum eſſe debet, varie, & a variis rebus inchoari poterit.

1. Si dixeritis, vos adeo immenſam commendationis molem offendere, ut in meritorum amplitudine inhabiles ad perficiendam, vel hærentes ad exordiendam Orationem inveniamini. Deinde propoſitionem hanc excipiatis ratione, cur inhabiles, vel hærentes; mox ingenii imbecillitatem ſubjungatis, Rurſus afferatis cauſam, cur compellamini ad dicendum; tandem totius Orationis propoſitionem dilucide, & eleganter ſtatuetis.

2. Si ſpectetis, apud quos, ubi, & de quo dicatis, & inde ſumentes initium oſtendamini; vel timidi accedere ad laudationem viri propter impolitam dicendi rationem, quæ ejuſdem merita deturpet potius, quam extollat; vel alacres eamdem laudationem adire propter inſignem illius memoriam, quæ ad dicendum vos excitat, allicitque, quibus ſequetur ratio, deinde amplificatio per effecta tractabitur, & mox propoſitio. Sin incipiatis a metu, cauſas afferatis oportet, cur licet impares ſitis ad tantum munus obeundum, ad dicendum tamen animum applicetis. In vituperatione eadem ſervanda ſunt, attento cauſæ genere.

Apud veteres Oratores variæ pro hiſce Epidicticis cauſis imagines exordiorum, & omnes illuſtres facile occurrent.

Ceterum, quum laudatio vobis aliqua erit tractanda, Proæmio magis, quam Inſinuatione opus erit, niſi forte quæpiam res præter opinionem difficilis obvia

fo-

foret; tunc enim non aperte benevolentia concilianda, ſed longius paulo petendum erit principium, puta a commendatione virtutis, quæ aſſumetur explicanda, vel a propriis dotibus, ut alterius commendatio magis, magiſque efferatur, & illuſtretur.

5. Propoſitio, quæ vel in ipſo exordio ponitur, vel ſtatim in narrationis principio, ſit dilucide explicata; ſed cum aliqua verborum pompa, & ſententiarum gravitate, remota procul oſtentatione. Unica tantum parte conſtare poteſt, ſeu bipartita eſſe, vel ad ſummum tripartita.

Narratio, quæ

1. Non debet eſſe continua, ſed per partes facta, neque amplificatione confuſa, ſed artificioſe diſtincta.

2. Habenda ratio ejus eſt, quem laudamus; ſi etenim illius egregia facinora, pleriſque nota ſunt, tunc partita narratione nil opus eſt, ſed tantum præteritorum revocanda memoria, & paucis multa per amplificationem percurrenda, niſi præcipua quædam habeantur, & ad ejus commendationem maxima.

3. Delectus rerum narrandarum habendus eſt, nec minima quæque attingenda, & his inſiſtendum potiſſimum, quæ peculiaria illius ſunt, quem laudamus, non cum aliis communia.

4. Nihil ad brevitatem attendendum, quam virtutem diximus narrationis; narratio enim hoc loco tanta eſſe debet, quanta ſunt ipſa facta, quæ laudem merentur, modo alicujus brevitatis memores ſimus, & amplificatione frequenti, & lectiſſimis verbis, & figuris, & fluenti periodorum exitu, narrationem illuſtremus, & ſuavem faciamus.

6. Ordo in narratione ſervandus, de quo ita loquitur Cic. in partitionibus: *Quibus in orationibus delectati finis eſt, varii ſunt ordines collocandi. Nam aut temporum ſervatur gradus, aut generum diſtributiones, aut a minoribus ad majora aſcendimus, aut a majoribus ad minora dilabimur, aut inæquabili varietate diſtinguimus; cum parva magnis, ſimplicia conjunctis, obſcu-*

ſcuræ dilucidis, læta triſtibus, incredibilia probabilibus inteximus, quæ in exornatione cadunt omnia.

Ex quibus verbis deducitur variis ordinibus diſtingui narrationem poſſe, &

1. Ut gradus temporem ſervetur, genus ſcilicet, patria, parentes, educatio, ſtudia, præceptores: tum ab adoleſcentia ad reliquas ætates oratione aſcendendo. Hunc ordinem ſequutus eſt Eumenius Orator Conſtantini in ſuo Panegirico.

2. Ut res geſtæ, ac virtutes ita exponantur, ut eæ gradum feciſſe dicantur ad dignitatem aliquam, ſiquam nuper adeptus fuerit, qui laudatur. Vide Auſonium in gratiarum actione.

3. Ut nulla habita temporum ratione, certa quædam capita conſtituantur, quæ ſint quaſi totius orationis ſtatus; aut ſi ad quaſdam certas virtutes rerum geſtarum ſedem univerſam referamus.

4. Ut a minoribus incipiamus, & paulatim aſcendamus ad majora. Ita Tull. in laude Pompeii.

5. Ut a majoribus incipiamus, & paulatim ad minora prolabamur. Idem pro Balbo n. 8.

6. Ut per compenſationem aliquam multa ſimul miſta commendemus, quemadmodum Plinius ad Trajanum, qui unam alteri, uni alteram laudem deferens, ita, ut non omnes in ſingulis, ſed in plurimis reperiat, omnes in Trajano ſuo contineri dicat, ab eoque uno plurimorum virtutes compenſari.

7. Ut per comparationem, aut parium, aut majorum, aut minorum inſtituatur laudatio, quæ ſi fuerit per comparationem minorum, ſeſe excuſet Orator, dicatque, ideo ad hoc adduci, quod ſuperiorem non habeat, cum quo illud conferat, & ſic de Roma dicendi peritus Ariſtides.

8. Ut certamen aliquod diverſarum virtutum inter ſeſe contendentium fiat. Præter hunc ordinem narrationis laborandum eſt Oratori, ut

1. Venuſte, & commode ab una re tranſeat ad aliam, &c.

2. Ut

2. Ut in incæpta figura perſeveret, ut puta, ſi ſemel allegoriam Reip. cum navi uſurpaverit, non tantum verbis a re translatis inſiſtat, ſed etiam tranſitionibus, quibus ab uno ad aliud quidpiam fiat tranſitus. Plurimi docuere hanc induſtriam, unus inter paucos Pacatus in Theodoſio, ubi ſic: *Quod facere* ingreſſi urbes ſolemus, ut primum ſacras ædes, & dicata Numinibus delubra viſamus, tum fora, atque gymnaſia, ambulacra, & plauſtra miremur: Ita in laudibus tuis ſanctos aditus, & priſcis æquanda ceremoniis inſtituta venerati, gradum ab illis properabimus; dein, quæ in medio conſtituta ad publicos uſus valentia, non privatim, ſed in commune conducunt, non parietibus, ſed orbe clauduntur &c.

Confirmatione non valde opus eſt, quia credendum factis; Magni tamen refert

Amplificatio, ad quam inſtituendam conſiderari debet

1. Si qui laudatur ſolus rem geſſerit, aut unus ea dignus habitus ſit.

2. Si primus omnium id fecerit, ſeu Princeps in aliqua re ſit.

3. Si facti ſocios vix aliquot habeat, aut ſi id fecerit, quod fecerint pauci.

4. Si inter multos ejuſdem gloriæ participes, ac ſocios præcipuus numeretur.

5. Si tempore, loco, occaſione, ceteriſque debitis circumſtantiis, quæ ad rem multum conferunt, commendatione dignum opus præſtiterit.

6. Si non ſemel, ſed ſæpius idem fecerit, tunc etenim non fortunæ, ſed virtuti opus adſcribendum putatur.

Peroratio, quæ non vehementes motus, ſed lenes excitare debet, ſtudium ſcilicet imitationis, honeſtatis amorem, æmulationes virtutis, amorem, & benevolentiam in eum, quem commendamus.

In vituperationibus autem contrarii motus ſunt excitandi, indignatio, ira, verecundia, ignominia, ut in animis auditorum turpitudinis odium relinquatur. Præterea in peroratione Orator pro incolumitate ejus, quem

quem commendavit, deprecatur, vel gratias agit, vel excuſat ſe quod minus eleganter dixerit; vel gratulatur ſibi, quod laudes tanti hominis fecerit; vel perpetuum pollicetur officium, & amorem; vel cauſam reddit, cur unam rem potius, quam aliam ſibi ad dicendum ſumpſerit, vel quidquam poſtulat, aut pro ſe, aut pro aliis.

Hæc ſunt, quæ generatim dicenda videntur de oratione Epidictica; nunc reſtat, ut aliqua moneamus ad uſum de peculiaribus quibuſdam orationibus, & ſtatim.

De Laude in puero.

HUjus orationis exordium ſumi poterit ab aliqua puerilis ætatis ſimilitudine, ut ab Aurora, quæ cum diei pueritia ſit, claro, temperatoque ſuo lumine ſpem offert purioris ſolis, generat uniones, gignit flores: eum illa conferenda mox pueritia, quæ ſit quaſi radius quidam futuræ virtutis in puero, laboretque jam tum candicantes pudicitiæ uniones, alatque rore ſuo ceterarum virtutum floſculos. Hortandi mox auditores ad benevolentiam, ut in oratione novi ſyderis radios intueri dignentur; ſubjicienda tandem propoſitio, quæ continere debuerit, Oratorem ſe velle auroræ hujus ortum propius intueri.

Confirmatio petenda erit a materno, paternoque genere, a ſimilitudine virtutum utriuſque, ab iis, quæ aut mira, aut divina in oraculis, vel vaticiniis contigerunt, ceteriſque omnibus quæ nativitatem attingere poſſe jam ſupra commemoravimus: ab ingenii ſolertia, ſi cum morus grata feſtivitate, ſermoniſque affabilitate conjungatur; ab induſtria, liberalium artium diſciplina, a ſpe rerum maximarum, ceteriſque animi, & corporis dotibus, a prudentiæ lumine, quæ jam tum in dictis ejus, & factis eluceat; a contemptu puerilium ludorum; a pudore, morum innocentia, & integrita-

te

te vitæ, in qua nullum impietatis, aut peccati veſtigium fuerit unquam impreſſum.

Peroratio motum admirationis, & amoris ciere debet, puero incolumitatem precari, & ad illius æmulationem concitare.

De Laude in adoleſcente.

QUoniam adoleſcentia ætatis eſt ver, exordium auſpicari poterit, ducta a vere ſimilitudine, eodem modo potiſſimum quo ſuperioris orationis exordium; neque erit inconveniens adſerere amæno vireſcentis hujus ætatis flore allici Oratorem ad dicendum, auditorem ad expectandum provocari; quas res ut propoſitio ſequatur, eidem metaphoræ inſiſtendum, dicendumque quemadmodum eo tempore variis luxuriante floribus labori eſt, quem potiſſimum legas; ita in hac verna ætate non facile ſeligere virtutes, ut laudis ſertum tanto adoleſcenti intexatur, poſt quæ dicta eæ proponendæ virtutes, quibus tota occupetur oratio.

Confirmatio inchoabitur a diviſione virtutum ætatis per comparationem magnorum heroum, rurſus inchoari poterit ex eo, quod vitiis huic ætati propemodum innatis caruerit, eaſque virtutes habeat, quæ divinis honoribus adoleſcentem excipiendum probarent, ideamque omnibus bonis exprimendam præbeant, corporis, & animi dotes egregias, pietatem in ſuperos, ſapientiam ſingularem, &c.

Peroratio eadem uſuvenit, quæ ſuperiori orationi.

De

De Laude Regis, ſeu Principis.

DUplici modo laus iſta diſponitur: vel rerum geſtarum ordinem ſequendo; vel Principis virtutes præcipuas ſeligendo, ad quas velut ad ſua capita res ab eo geſtæ referantur omnes. Poſterior modus eſt ingenioſior.

Itaque exordium illud eſſe poteſt, quod docuimus, cum de exordio generis demonſtrativi. Propoſitio, vel nulla ſi rerum geſtarum ordinem ſequamur, vel ducta ab aliqua ſimilitudine, ut ſi Principem dicamus, vel divinitatis imaginem, vel animam totius imperii, aut melius eam, quam ſibi quiſque per ingenium ſuum effinxerit, quæ ita ampla eſſe debuerit, ut res geſtæ omnes, vel ſaltem plurimæ ad eam revocari poſſint.

Confirmatio excurrere debet per omnes regias virtutes, bonaque tum fortunæ, tum corporis, ut ſuperius vobis tradidi.

In peroratione præcepta ſequamini, quæ de ea monita ſunt.

De laude Principis Fœminæ.

EXordium ab inſinuatione ſumetur, cum difficile ſit fortem mulierem, & laude dignam invenire, juvabitque innuere illuſtriorem fore commendationem quod ſexum virtute ſuperarit, & virilem virtutem induerit.

Propoſitio præceptis conformabitur, quæ de illa tradidimus nuper, cum de oratione in laudem Regis.

Confirmatio petitur a nobilitate generis, ab inſtitutione ſancta primæ ætatis, prolis fæcunditate, & copia, illius inſtitutione, debita in maritum charitate,

& obſervantia, ab animi moderatione, & conſtantia, ab æquanimitate in rebus adverſis, & proſperis, a caſtimonia mentis, & corporis, a regiis denique virtutibus omnibus.

Peroratio jam habuit ſua monita: ad ea in hac re recurrendum.

De laude rerum inanimatarum.

IN rebus inanimis laus peti poteſt

1. A cauſis.

2. Ab effectibus, ſi qui ſunt inſignes.

Quare in fontibus commendabitur humor purus affluens, frigidus, dulcis, ſaliens, quieſcens,

2. Egregia circum naturæ, vel artis ſtructura.

3. Locus, ſi amænus ſit, & opacus.

4. Virtus, ſi quæ peculiaris ineſt ad abſtergendum, curandoſque morbos. Sic. Horat. commendavit lib. 3. Od. 13.

Similiter in regionibus laudatur malorum, noxiarumque rerum abſentia, fæcunditas armentorum, pecudum, arborum, ſegetum, vitium, verna terræ ridentis amænitas, cœli grata temperies, flumina, lacus, portus, metalla, Urbes, populi, Principes pace, & bello illuſtres. Itidem in urbibus commendatur cælum purum, tenue, temperatum, plaga ſalubris, ſoli circum jacentis ubertas, frugum copia, ſitus natura, vel opere munitus, gentium conventibus liber, & expoſitus, antiquitas, claritaſque fundatoris, ædificiorum pulchritudo, ſublimitas, amplitudo, Principes heroum non diſſimiles, cives formæ pulchritudine amabiles, moribus ſuaves, religione præſtantes, pacis, & militiæ ſtudiis nobiles, majorum gloria, divitiis, eruditione, legibus, & inſtitutis imperii, & Reip.opibus inſignes.

De

De Oratione Genethliaca.

HÆC oratio habetur in natalitiis hominis alicujus. Ejus exordium ſumitur.

1. Ab aliqua circumſtantia loci, vel temporis, aut perſonarum.

2. A publicis votis, precibus, & ſacrificiis, quæ ante nativitatem, & poſt illam facta ſunt.

3. Ab antiquorum ritibus.

4. A fabulis.

5. Ab aliqua hiſtoria, ſeu facto inſigni.

6. Ab exclamatione, & læto plauſu futurorum bonorum.

Confirmatio multipliciter abſolvi poteſt; nam ſi nativitas ſatis uberem ſuggerat rerum copiam ad juſtam orationem, his poterit eſſe contentus laudator. Sin minus, incipiendum erit a Patria, parentibus, ſplendore natalium, prodigiis, ſiquæ præceſſerunt; rurſus attingere poterit Orator nativitatis circumſtantias, locum, tempus, antecedentia, conſequentia, auguria, dicta, oracula, ſomnia, concurſus rerum variarum in id tempus. Item auguria ſiquæ puer ipſe det futuræ virtutis, & fortunæ; quæ quidem divinatio peti poteſt, vel ex iis, quæ nativitatem, aut puerum ipſum naſcentem attingunt, vel ex genere, facie, futuraque apud parentes infantis inſtitutione.

Peroratio vota continet, fauſtaſque precationes puero, & parentibus, ut ille ad multum tempus felix vivat, & ſuis, & Patriæ ornamento aliquando futurus.

Item provocabit ad lætitiam, deſiderabitque, ut creſcat infans ad eos honores, apud quos natus eſt; divos aliquando, ſeu virtutes producet contendentes inter ſe, cui potiſſimum ſit ille puer primum natus.

Oratio Genethliaca, quæ dicitur adulto, partim coaleſcit ex ſuperioribus præceptis, partim non jam ſigna, & præſagia futuræ virtutis attingit, ſed virtutes

ipſas recenſet, aut amplificat, dicitque auſpiciis, & ominibus jam ſatis reſpondiſſe virtutes.

In peroratione optandum, ut ſæpe diem illum natalem celebrare contingat, utque lætior ſemper recurrat, illiuſque ortu ita gaudeamus, ut nunquam audire velimus interitum.

De Oratione Luſtrica.

HÆC oratio dicitur Luſtrica, quod dies ille, quo nomen infantibus imponebatur luſtricus apud veteres appellabatur, habeturque in nominum impoſitione.

Exordium ducitur, vel a circumſtantiis, vel ab aliquo ritu antiquo in imponendis nominibus, vel a lætitia communi, vel ab honoribus, quos ille prius retuliſſet, cui nomen imponitur, vel certe dubitando exquirere poterit orator, quo præmio tam præclaræ res geſtæ donari potuiſſent, & ad nomen deſcendens nullum inventum docebit majus ipſo nomine, de quo breviter dicet præmium eſſe virtutis.

Confirmatio, vel una, vel duabus contineri partibus poterit; ſi una, eam inſtituat Orator ab iis locis, quæ in commendationem nominis cadere poſſunt; a compoſitione ſcilicet cum aliis præclaris nominibus; a cauſis propter quas impoſitum fuit, & ab ipſa nominis ſignificatione; ſi aut omnes virtutes ea complectatur, aut omnium maximam, aut omnia, quæ in omnibus nominibus eſſe poſſunt. Si duabus, in prima ponantur tes geſtæ, ac virtutes, propter quas nomen fuit impoſitum; in ſecunda nominis excellentia laudetur, inſtituaturque collatio tum perſonarum, tum hominum, tum cauſarum, propter quas aliis etiam aliud nomen impoſitum fuerit, ſive hoc fiat per ſimplicem comparationem, qua paria omnia eſſe dicantur, ſive per contentionem, qua qui laudatur probetur eſſe ſuperior.

Epilogus occupatur in votis, & fauſtis precationibus,

bus, gratulationibus, & adhortationibus, ut tanti nominis gloriam ſubſtineat, ac tueatur.

De Epithalamio, ſeu Nuptiali Oratione.

EPithalamium habetur in nuptiis. Ejus exordium inchoabitur, vel a lætitia, feſtaque diei celebritate, vel ab argumenti difficultate; vel a cauſis, cur Orator ad dicendum acceſſerit, vel a commodis, optimaque conjugii æſtimatione.

Confirmatio 1. per modum panegyris laudes ſponſorum continebit; ſive a Patria, parentibus, aliiſque laudationis locis, ſive per comparationem unius cum altero, ut nullus alterutro dignior eſt potuiſſe oſtendatur, ſive per collationem nuptiarum hujuſmodi cum felicibus antiquorum nuptiis, ſive per certamen aliquod, aut inter divos, aut inter homines, aut inter virtutes contendentes invicem in conferendis variis muneribus recenter nuptis. Juverit etiam comparationem inſtituere inter genus utriuſque ſponſi, ut ex illa conſtet ſimilem ſimili conjungi, quam quidem comparationem ornare aliquando poterunt ſymbola quædam ab antiquorum ritibus accepta, puta a floribus, ſeu frondibus, quibus, nuptorum coronæ antiquitus intexebantur, ut ſponſum uno ſponſam altero exprimamus ſymbolo.

2. Poſt celebratam ſponſi, ſponſæque affinitatem, quæ ex illo matrimonio contrahitur, commendari nuptiæ poſſunt ex iis, quæ inde creduntur proventura, aut ex aliis felicioribus matrimoniis, quæ inter eaſdem familias olim interceſſerunt; laudantur ſponſorum parentes, ad laudes quoque eorum excurritur qui ad nuptias celebrandas convenerunt, & ad commendandum thalamum, domum, urbem, ubi nuptiæ factæ ſunt. Finguntur liberi coram parentibus luſitantes, ſive æta-

te creſcente maxima meditantes. Ad nuptam, & virum cum laude convertitur ſermo, utrumque ad lætitiæ ſenſum excitando, & in ſpem adducendo ſobolis virtutis non imparis.

Epilogus vota facit pro liberorum felici proventu, ut parentes thalami pignora cito conſpiciant, diu felicem vitam degant, & diem videant, quo & ipſi liberorum nuptiis interſint. Itidem ad mutuum amorem, & fidelem concordiam conjuges adhortabitur. Legantur Claud. de Nupt. Honorii, & Mariæ, Statius lib. 1. in Epithal. Stellæ Maxim. in Nupt. Conſtantini.

De Epinicio ſeu Oratione Gratulatoria.

EPinicium adhibetur in quovis eventu felici, ut iis gratulemur, quibus ille feliciter contigit.

Exordium hujus maxima parte eſſe poteſt rei obtentæ gravior amplificatio, & deſumi poteſt, vel a communibus locis publicæ lætitiæ, aliarumque circumſtantiarum, vel ab ipſa mutatione, & incremento fortunæ melioris.

Confirmatio variari poteſt pro rerum varietate, quæ ad gratulationem nos excitant, ſi etenim alicui victoriam gratulamur, dicendum erit non tam pares gratias, quam dignam gratulationem haberi poſſe illi, qui debellatis hoſtibus tantis incommodis patriam liberavit. Hujus rei cauſæ mox afferendæ; ſubjicienda inde victoriæ narratio, quæ explicetur ex adjunctis, & amplificabitur per Hypotipoſem, diſtributiones, deſcriptiones, & per comparationes præſentis fortunæ cum ſuperiori. Licet nonnunquam victoriam conferre cum ipſo duce, ejuſdem merita amplificare, in quorum fidem aliqui nominandi erunt, quorum egregia facinora fuerit æmulatus.

Si

Si dignitatem acceptam gratulemur, illius magnitudo erit demonſtranda: commemorandum adeptam meritis, & virtute, dicendumque dignitatem eam eſſe, ex qua immortalitatem conſequi ille poſſit, quæque a multis expetita, paucis admodum obtigerit. Obliqua oratione interdum alicui gratulamur, cum dicimus nolle nos amico, qui dignitatem obtinuit, ſed Reipublicæ quæ tantum virum in ea dignitate ſibi adepta eſt, gratulari; quod Reip. utilitas ab amici honore acceſſerit; qui ſi junior ſit, dicendum eſt hunc diuturniorem, & Reip. utiliorem fore; ſi ſenex, ſpecimen virtutis amplum dediſſe; ſi eruditione conſpicuus, florentem, ac beatam fore Rempublicam.

Epilogus continet preces pro imperii diuturnitate, felicitate, gloria, incremento. Optat, ut qui ad dignitatem aſcendit, opinionem de ſua virtute conceptam factis ſuperet, neque cum aliis, ſed ſecum ipſe certet, ut ad majores gradus poſſit aſcendere. Cohortatur ad amorem, & patriæ defenſionem, ut eam ita compenſet. Commemorat, qui reges, & præclari viri eam ornarint, & auxerint. Monet tandem, ut & Deo, & largitori Principi gratus ſit.

De Oratione Lamentatoria.

HÆc oratio ſuperiori contraria eſt, majus tamen requirit artificium, ut dolore potius, quam arte videri debeat facta. Duabus omnino partibus abſolvi poteſt. In prima ſignificetur, quantum ſit malum illud, in quod incidimus, tum ad levandum dolorem, tum ad excitandam in amicis miſericordiam, & odium in inimicos, ſi ex iis tantum malum obtinuerit. In ſecunda metus aliis injicitur quaſi & illis poſſit idem contingere.

Epilogus ſuperos orat, ut a cervicibus omnium tantam depellant tempeſtatem.

De Oratione Poſtulatoria.

POſtulatoria oratio adhibetur; cum quid debitum, aut tamquam debitum a Deo, vel ab homine peti oportet.

Exordium, ſi petitio oblique fiat, per inſinuationem benevolentiam conciliet, ad excitandam nedum attentionem, ſed etiam liberalitatem; quæ quidem inſinuatio peti debet ab illius laude, a quo beneficium expectatur, maxime vero a laude liberalitatis. Quod ſi res, quæ poſtulatur, difficilior obtentu ſit, majore inſinuationis artificio, ſin minus difficilis, minore opus habet. Si vero recta petitio ſit, aperte exordiendum, non tamen procul ab arte.

Confirmatio ſi de liberalitate benefactoris nihil dictum fuerit in exordio, ab ea inchoari poterit.

Petitio proponenda, explicanda, exornanda erit, attenta perſona, a qua petitur, & re ipſa quæ petitur; nam ſi petitur ab homine gloriæ cupido, dicendum erit virtutem ineſſe maximam in re conferenda; ſi ab alio aliter agendum. Si qui petit, benemeritus ſit, enumerare poterit, modeſte tamen, ſua beneficia. Si nullum habeat meritum, narret, quomodo immeritus tantum beneficium petere audeat, cauſamque petendi afferat, dantis liberalitatem. Si res, quæ petitur magna ſit, inque ea obtinenda laboretur, recurrendum ad locos deliberativi generis, a poſſibili ſcilicet, oſtendendo nullo diſpendio conferri poſſe beneficium; ab utili probando, utile eſſe Reip. ab honeſto oſtendendo honorem, & gloriam inde futuram. Proderit parentum laudes, & majorum utriuſque recenſere, qui ſi in neceſſitudine conjuncti fuerint, addendum erit eos, qui ſubſequuntur, non tam paternarum opum, quam amicitiæ hæredes eſſe debere. Preces adhiberi poſſunt, & obteſtationes per res, aut perſonas, quibus nihil charius haberi conſtet. Docendum erit, petere nos rem hone-

honeſtam, piam, juſtam, & nobis neceſſariam, quam, ut obtineamus, ciendi ſunt miſericordiæ motus ab indigentia noſtra.

Epilogus promittit animum gratum, & deficiente facultate referendi gratias, ſummam animi propenſionem, & voluntatem.

De Oratione Euchariſtica, ſeu in gratiarum actione.

EXordium bene contextum, ſplendidum, grave, ac ſerium eſſe debet, ſine ulla ſuſpicione ſimulationis, ſeu aſſentationis, in quo amorem profiteatur Orator, magnifice beneficium acceptum enarret, cum rerum enumeratione; præterea exordiri poteſt Orator, nunc ab ea virtute, quæ maxime lucet in beneficio collato, modo a perſona largientis, & ab adjunctis, ſi Rex, ſi Senatus ſit, qui dedit, ſi cito datum, ſi cum verborum ornatu, & vultus hilaris ſignificatione; nunc reddendo rationem, cur tot ante beneficiis acceptis, nunc tantum agere gratias incipiat.

Confirmatio, vel inſtitui poteſt per panegyrim, in qua inſiſtendum erit commendando virtutem a qua profectum eſt beneficium, vel tripartita eſſe debebit, quæ primo occupetur in laudibus benefactoris, mox in beneficii magnitudine amplificanda, & exornanda, ex adjunctis, & circumſtantiis, per multas comparationes, inquirens cauſas beneficii, tempus, locum, & hujuſmodi; demum in explicando modo, quo datum eſt beneficium.

Epilogus officii recordationem pollicetur; ſpondet, memorem animum, rogatque Deum, ut cum nos ob virium imbecillitatem id minime poſſimus, ipſe gratias beneficio pares rependat.

Si gratiarum actiones ob ſalutem fient, obſervandum erit, incolumitatem reſtitutam, mala adverſa, miſe-

miſerias, & morbos procul amandatos, magnam dicendi copiam ſuppeditare. Ideo exageranda tunc erit prædictorum malorum gravitas, a quibus fuimus liberati; ut tanto majus beneficium collatum eluceat.

De Oratione ad inaugurationem.

HÆC oratio dici ſolet in unctione regum, aut creatione magiſtratuum, vel Gubernatorum.

Exordium ſumitur a votis bonorum, qui optabant, a gratulatione populorum, a meritis ipſius electi, a pompis, quibus elucent viæ, forum, templa, palatia, a reliquis denique circumſtantiis, vel etiam condolere dignitatem novo Principi Orator poterit, quod eam ſubeundo, novas cauſas, laboreſque ſubire cogatur.

Confirmatio ſeſe effundet in laudes novi Principis, a fontibus, quos ſupra monuimus, a laboribus pro patria exantlatis, a clementia in cives. Differet de corona, de ſceptro, de purpura, de ſtemmate, deque ceteris omnibus, quæ peculiares ſint illius pompæ; adhibebit deſcriptionem ipſius Principis, a quo effulgeat amor, & majeſtas; neque omittet oracula, prodigia, & ſiquid aliud inſigne evenerit, & honorificum, quæ omnia ad laudem Principis referenda ſunt.

Epilogus erit idem, qui in gratulatoria oratione. Præclara eſt Sidonis Panegyris ad Auguſtum Romæ dicta, & optime etiam Claud. in Conſul. Manlii Theodoreti &c.

De Stemmate Praxin.

STemmata, quæ familiæ inſignia eſſe dicuntur; ad laudes heroum plurimum conferunt, quorum encomia inde petuntur, quod ſint, & ſigna quædam ad orna-

ornamentum, & diſcrimen familiæ deducta, & præmia virtutis, ac poſteris incitamenta laborum, & ſuavis, & grata recte factorum recordatio, & documentum aliquod artis, & officii, & amoris, ac inſitæ virtutis argumentum. Rurſus ad laudem conſideratur materia, ut aurum, vel argentum; color ut cæruleus, rubeus; forma, vel figura, ut ancile, palma, clypeus; pictura, ut roſa, oliva, globuli, arma, cruces, Leo, Aquila, & hujuſmodi, e quibus ſtudeat Orator magnam copiam laudum haurire, &c.

De Paranimphæa; ſive in Creatione Doctoris.

Exordium petitur a circumſtantiis perſonarum, vel a ritibus veterum, cum laude illius ſcientiæ, ad quam initiatur Doctor.

Confirmatio tres partes habet; prima rationes continet, ob quas mox promovendus, honore dignus videri poſſit; altera rituum expoſitionem; tertia ad doctorem panegyrim inſtituit. Ritus eſſe ſolent, traditio libri ad legendum quidquid officii ſui ſit; pileoli, inſignia veritatis, ac ſanctitatis; anulus, qui fidei, veritatis, & conſtantiæ eſt argumentum: Zona aurea, qua utatur, tanquam cingulo fidei, & fortitudinis, modeſtiæque vinculo, quo animi motus cohibere poſſit.

Epilogus multa ſibi promittit de inaugurando Doctore, clauditurque in ejuſdem gratulatione.

De

De Oratione in Creatione Juſtitiæ Præſidis.

Exordium inchoabitur ab ipſos juſtitiæ templo, in quo Præſes admittitur, vel ab ipſo tribunali, in quod aſcendit, unde promant: oracula cœlo digna, hominique metuenda, quod quid ornari poteſt aliqua, ſimilitudine deſumpta e Salomonis throno, aut aliunde.

Confirmatio vagabitur per locos communes laudis in Præſidem, electum, & quæret, cur purpura induatur, an quia ea regiam induat auctoritatem, an quia in legum violatores inſurgere debeat tanquam elephas, qui a rubro in bella accenditur; commendabit ſapientiam præſidis, ex qua, velut ex trypode promentur oracula juſta, veneranda, & patriæ ſalutaria.

Epilogus gratulatur, non tam præſidi, quam urbi, quæ ſe regendam commiſit tanto viro, cujus ſapientia, vigilantia, prudentia quæque optima ſibi polliceri poſſit.

De Oratione in dedicatione.

HÆC oratio contexitur, cum alteri opus aliquod nuncupandum occurrit: ejus artificium tribus veluti gradibus aſſurgit, primo occaſione dedicandi, quæ ſumitur vel a dedicantis officio, vel a dignitate illius, cui dedicatur, vel ab opportunitate aliqua, ut ſi devictis hoſtibus triumphet, & cetera quampluríma; ſecundo rei dedicatæ vel explicatione, vel excuſatione. Tertio commendatione, & obſecratione, addito fidei, æternique obſequii Sacramento.

De Oratione ad receptionem Principum, aut magiſtratuum.

QUI orationem hanc contexendam aggreditur prius animadvertere debet, quæ fuerit cauſa regis adventus in urbem. Si ut eam per ſe inviſat, vel ut ſi in ea Princeps exterus ſit, ſuas celebret nuptias, & hujuſmodi; & talis erit oratio, qualem eam exigit cauſæ adventus. Si cauſa adventus ſit, ut per ſe Princeps urbem illam inviſat tunc

Exordium ducetur ab expectatione, & votis totius Civitatis, vel a deſiderio communi videndi Principem, vel ab exultatione, qua geſtierunt omnes, cum primum acceperunt nuntium, vel ab ipſa regum providentia, quorum eſt, non per legatos tantum, ſed per ſe quoque ſuis regnis conſulere, a theſi ad Hypoteſim mox deſcendendo.

Confirmatio per laudes regis excurrat, providentiæ præcipue per aliquas comparationes, & ſymbola, poteritque recenſere antiqua ejus beneficia in urbem illam collata, ea conferendo, cum prædeceſſorum ipſius beneficiis. Immo differere etiam poterit multa de urbis felicitate, & meritis, eaque omnia uni regi accepta referre. Neque erit inconveniens, ſi ad publicum apparatum deſcendat, in quo deſcribat, vel civium concurſum, vel regis ingreſſum magnificum ad triumphum, aut modeſtum, ne gravis populis eſſet.

Dicet relicta ab eo fuiſſe clementiæ, fortitudinis, liberalitatis, ceterarumque virtutum, quam ille tranſierit, veſtigia.

Epilogus ejus amori, & tutelæ commendabit urbem, ipſumque tutelaribus Diis; vota faciet pro ejus felicitate; vovebit, ac dedicabit animas, pectora, fortunas,

tunas, opes. Populorum explicabit lætitiam, & amorem, & ſi quid petendum erit, obſecrando id efficere poterit. Legatur Oratio Pacati ad Imperatorem Theodoſium, in qua ille magnifice.

De Oratione in diſcedentes a nobis.

Exordium teſtabitur non levem doloris ſignificationem ex illorum diſceſſu, quibus familiariter utebamur; mox moderationem adhibebit aliquam ex honeſta diſceſſus cauſa; & ſi orator ſit ille, qui diſcedat, diuque a patria extorris abire debeat, miſericordiæ ciet affectum.

Confirmatio commendabit multi populi, apud quem vixit Orator, fidem, humanitatem, pietatem, & cetera, quibus conciliantur animi; tum urbem, a qua ille diſcedit, dilaudabit, loci nimirum naturam, ſitum ſalubrem, & amœnum, ſacra ejus feſta, ſacraſque ceremonias.

Epilogus beneficiorum, quæ iſtic acceperit, memorem Oratorem pollicebitur, uxores, liberos, affines commendabit plurimis, iiſque bene precabitur.

Si alius ſit qui diſcedat, iſque vel mulctatus exilio, vel acerbiore coactus fortuna,

Exordium petendum erit ex querimonia, vel indignatione in fortunam ipſam.

Confirmatio queratur quod abire parantem non retinuerint non frequens virorum illuſtrium concurſus, non deambulationes, non amæna loca, non cetera, quæ urbem exornant. Revocat promiſſa; quod alter ab altero nunquam eſſet diſceſſurus, confert priorem felicitatem cum præſenti miſeria, dicit, ſe, qui jam in amico ſolatium, nunc præter ſollicitudines, & curas, nihil in eo habere, conqueritur nimis longam futuram ejus abſentiam, commemorat pericula itineris,

diffi-

difficiles navigationes, & vitæ infelicioris incommoda, eoque dolet abeunti. Modo tamen ſolatur ſe, ſpe expectati felicioris reditus.

Si vero qui diſcedit, legatus vel imperator diſcedit, Exordium illi gratulatur. Confirmatio dilaudabit, & eum ipſum, & collegas ſuos, comiteſque, a genere, virtutibus, fama nominis, ac rebus antea feliciter geſtis: deprecabitur eundem quoque, ut memoriam noſtri abſens non deponat, locorum amænitate delinitus, ac ſociorum humanitate, urbiumque nobilitate, qua iter eſt habiturus, quas ea occaſione proderit laudare.

Epilogus continet preces, & felicia omnia diſcedenti deſiderat.

De Oratione poſt reditum.

EXordium vel ſuperis gratias aget, quod incolumem patria, civeſque omnes tantum virum receperint; vel deſiderium exprimet, quo cives ejus reditum affectabant, votiſque, & precibus accelerabant; vel circumſtantiam quamdam temporis continebit, ut ſi Sol ſerenior effulſerit, quaſi tanti hominis reditum ſibi fuerit gratulatus.

Confirmatio deſcribet hominis indolem, dilaudabitque virtutes, eas potiſſimum per enumerationem recenſendo, quibus acceptus fuerit iis, apud quos dum abeſſet, eſt commoratus, qua in re optimæ erunt comparationes conglobatæ hominum illuſtrium, qui apud alias nationes magni habiti fuerint. Inducet exteras urbes, apud quas diutius fuerit, quæ partim invideant patriæ illius, partim cives ſuos cum eo conferant, minoreſque eo arbitrentur, & partim ſecum ipſe doleant, quod hoſpitem non retinuerint abire cogitantem. Reditum amico gratulabitur, gratiamque referet, quod apud illum valuerit plus Patriæ charitas, quam ceterarum gentium benevolentiæ teſtificatio, oblati honores, locique amœnitas, & deliciæ.

Ex-

Exponet tandem quid commoditatis, & privatim, & publice tanti viri afferet reverſio.

Epilogus hortabitur, ut diu cum ſuis maneat, redibit ad preces, orabit cœlites, ut quemadmodum in profectione, & reditu ita ſoſpitent in Patria.

De Oratione in funere.

EXordium occupabitur in deploratione, ac gemitibus, ordieturque vel ab indignatione pro eo, cujus mortem dolemus, quaſi indignemur ereptum nobis eſſe, aut nos ſuperſtites ad dolendum relictos; vel ab aliqua exclamatione, vel ab invectiva, in mortem maxime, ſi in ætatis flore ille obierit, vel a deploratione cum indignatione mixta, humanam conquerendo conditionem, quæ nos ad tantam miſeriam vix natos dejecit, vel a circumſtantiis quibuſdam, ut ſunt oſtenta, prodigia, aliæque quamplurimæ, quæ in hac re ineſſe poſſunt, vel ab aliqua figura, dubitationem puta, quaſi ambigat Orator loquine, an ſilere debeat, ciere lacrymas, an conſolari, & hujuſmodi, aut excuſationem quamdam, quaſi non audeat vulneris memoriam refricare, & afflictæ domus ſpeciem deſcribere; vel ab aliquo gravi dicto præſertim, ſi dolorem lenire velimus, vel a lugubri exequiarum apparatu, vel ab aliquo ſymbolo, vel a diverſis gentium ritibus, vel a luctus deſcriptione, præſertim ſi luctuoſo caſu obierit ille, cujus mortem dolemus. Denique exordium dabunt affinitas, dignitas, & hujuſmodi, quæ ſubſtineat ille, cui onus dicendi impoſitum fuit, tamquam ea cauſæ fuerint, cur loquendi partem ſuſceperit.

Confirmatio duabus potiſſimum partibus abſolvi poteſt, laude ſcilicet, & lamentatione; ea demortui vitam commendamus: hac mortem dolemus; quare omnes inveniendi ſunt fontes laudis, locaque omnia ciendi mœroris motus; quibus addi poteſt & tertia, ſolatium ſcilicet ad parentes, vel ad ſuperſtites documen-

mentum. Interdum tamen una pars tantum ponitur, eaque occupatur in laudatione; ita tamen conſtructa, ut referatur ad excitandum dolorem; interdum adhibetur & ſecunda, quæ aut dolorem movet, aut conſolatur, aut adhortatur ad mortui imitationem: melius autem iſta ſparſim per totam orationem diffundentur, ita tamen ut in epilogo perficiantur.

Epilogus æternam felicitatem mortuo deprecatur, vel lacrymas in auditoribus movet, vel ad debitos honores deferendos, aut ad recordationem beneficiorum ab eo acceptorum, vel ad virtutum ejus imitationem, vel ad impendentis omnibus certe mortis memoriam hortatur. Si filius ſuperſit paternæ virtutis hæres, auditores ſolabitur, proponens iis, parentem in filiis ſuperſtitem eſſe. Tandem claudi poterit celebri quodam epitaphio, quod conciſum eſſe convenit, & paucis verſibus continere genus, vitæ ſeriem, geſtos honores, facta præcipua, mortis genus, & monitum aliquod viatori. Egregiæ ſunt Orationes funebres Nyſſeni in morte Pulcheriæ, D. Amb. in Theodoſii ſenioris, Naziazeni in Athanatis &c.

De Oratione ad legationem obeundam.

EXordium, quod quidem ſumitur a perſona regis, & ejus, a quo mittitur, & ejus ad quem mittitur legatus, affinitates, fœdera, amicitia, negotia inter illos ante id tempus habita, & cetera hujuſmodi occupabunt; vel etiam ſumi poteſt a ritu, & jure gentium in mittendis legatis.

Confirmationis nulla certa præcepta eſſe poſſunt, cum enim tot, & tam variæ poſſint eſſe res, quas legatus agere debeat, talem inſtituat confirmationem. Orator, qualem exiget res, de qua agitur. Quare cum legatus mittitur, vel ad gratulationem, & amicitiæ

O offi-

officia, vel ad excipiendum aliquem alterius nomine, vel ad aliud petendum, vel ad repetendum, & expoſtulandum aliquid propter acceptam injuriam, vel ad ſuadendum aliquid, recurrere ille debebit ad ſingulares orationes cuilibet cauſæ conformes.

Epilogus pariter cauſis, quæ tractantur, accomodabitur.

De Oratione in conſecrationibus.

Conſecratio apud antiquos Idolatriæ cultores ea dicebatur, qua vel aliquem hominem in numerum Deorum referebant, vel templum, aut aram numini alicui conſecrabant. Sacrilegus iſte cultus cum ipſa ſuperſtitione jam exſolevit, eique ſanctior ſucceſſit, conſuetudo ſcilicet piorum hominum in numerum, albumque Sanctorum referendorum. Quare hæc oratio adhibetur a nobis in alium uſum ab eo, in quem ab antiquis adhibebatur; cum nempe non jam ſceleſtiſſimis hominibus divorum nomen tribuitur, ſed cum homines vere pii maturis Eccleſiæ Catholicæ ſanctionibus inter Beatos, Sanctoſque adſcribuntur.

Artificium hujus orationis idem eſt, ac orationis in funere, præterquamquod exordium, & epilogus, ipſaque confirmatio ad hilaritatem penitus compacti eſſe debent. Poterunt & aliqua recenſeri de ritibus, qui in Æthnicorum conſecrationibus adhiberi ſolebant, vel eos aſſumendo, vel rejiciendo. Etiam epilogus continebit exhortationem, qua excitentur auditores ad venerationem Sancti hominis, & ad vota illi facienda; poterit pariter vel nobis, vel noſtris a Divo illo aliquid poſtulari.

Si hæc oratio habenda ſit in conſecratione templi cujuſdam, illa tota occupabitur in commendandis ritibus hujuſmodi conſecrationis, nec non templis iiſdem

dem ſibi a Deo electis tanquam in propria æde ad habitandum in terris; curabitque, ut venerationem, religionemque, & cultum in illud ipſum in auditoribus excitet, quod ut melius præſtet, ornanda erit aliquibus imaginibus ex Sacra Scriptura deſumptis.

De Genere deliberativo.

GEnus hoc nedum deliberativum, ſed & ſuaſorium dicitur, & diſſuaſorium, diſceptatorium, concionatorium, & conſultorium. Ejus materies poſſibilia ſunt, & non neceſſaria, non tamen omnia, ſed ea tantum, quæ eſt in noſtra poteſtate, ut aut fiant, aut omittantur, & ad nos ipſos pertineant, hæc vero eadem publica ſunt, vel privata, de quibus diſceptari poteſt. Finis utilitas eſt, ac detrimentum: officium ſuadere, & diſſuadere.

De Inventione Generis deliberativi.

TRiplicem hujus generis fontem aperit Quinctilianus, cum inquit: ſuadendi partes quidem honeſtum, utile, neceſſarium. Neceſſitas tamen non ideo eſt pars deliberationis, quod in deliberationem cadat, ſed quod ſi quid neceſſarium probari poſſit, fidem afferat deliberationi.

Cum autem Cicero in partition. &c. hæc habeat: *Suaſori proponitur ſimplex ratio, ſi & utile eſt, & fieri poteſt, ut fiat: diſſuaſori duplex: una, ſi non eſt utile, ne fiat: altera ſi fieri non poteſt, ne ſuſcipiatur*; cumque idem dividat utile, in utile honeſtum, & utile commodum, conſtat tres eſſe fontes inventionis generis deliberativi: honeſtum ſcilicet, utile, & poſſibile.

Ad honeſtum ea referuntur omnia, quæ proficiſcuntur a virtutibus, quæque ſunt laudabilia ipſa per ſe, qualia ſunt animi bona, quibus & additur materies ſubjecta honeſtati, quæ maxime ſpectatur in amicitiis; amicitiæ autem charitate, & amore cernuntur. Quare cum nobis honeſtum proponimus materiem deliberationis, illud aſſumi poteſt.

1. Si bonum, quod ſuademus, cum virtute conjunctum demonſtremus; tunc etenim honeſtum illud probaverimus; ideoque faciendum.

2. Si oſtendamus cum re, quam ſuademus, conjunctas eſſe virtutes, ita ut qui, quod ſuademus, ſuſceperit, prudens, juſtus, clemens habeatur. Quod ſi jam ille hiſce virtutibus fuerit inſtructus, alia ratione erit impellendus, ut nempe ſuis virtutibus opera reſpondeant.

3. Si metu dedecoris, & infamiæ aliquid ſuſcipiendum eſſe ſuadeamus, qui modus efficax eſt, & dicitur cum contrario.

Notandum oratori eſt, quibus affectibus auditores maxime ducantur, & quantum apud imperitos adhibendus eſt ad ſuaſionem ignominiæ metus, tantum apud Sapientes gloriæ propoſitio, & honeſtatis, apud quos nunquam illius jactura.

Ad utilitatem, ut inquit Cicero; ea revocantur, quæ ſunt in corporis, aut fortunæ bonis expetenda; quorum alia ſunt quaſi quodammodo cum honeſtate conjuncta, ut honos, & gloria; alia diverſa, ut vires, forma, valetudo, nobilitas, divitiæ, clientelæ, de quibus ſatis multa in genere demonſtrativo. Igitur multiplici ratione ea ad ſuaſionem deflecti poſſunt, &

1. Cum nobiles avidi ſunt honoris, & gloriæ, dignitatum, & famæ, divitiarum, dominationis, & imperii; ſi probaverit orator in re, quam ſuadet, iſta contineri.

2. Apud eos, qui aut lucri cupidi ſunt, aut ſummum decus ponunt in recto divitiarum uſu, ut hoſce per-

perſuadeat, his liberalitatem divitiarum ornamentum, illis ſpem lucri proponet.

3. Videndum erit, quid ſit futurum, ſi negotium ſuſcipiatur; quid conſecuturum, ſi negligatur. Ad primum ſpectat bonorum partorum conſervatio, comparatio non acquiſitorum, malorum præſentium depulſio, & imminentium fuga; ad ſecundum bonorum jam partorum carentia, ſperandorum fruſtratio, malorum præſentium, aut imminentium vel continuatio, vel expectatio.

Ad utile revocatur neceſſarium eo modo, quo ſuperiores diximus.

Poſſibile continet cauſas, quæ rem quamlibet efficiunt. Eæ autem ſunt in duplici differentia; aliæ enim ſunt conficientes, quæ rem ex ſe conficiunt, aliæ adjuvantes, quæ ſunt quaſi quædam inſtrumenta ad rem conficiendam, quæ omnes hoc uno carmine comprehenduntur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis complectitur perſonas, in quibus potiſſimum examinanda eſt conditio, qua ſtatim obvium venit quid ille aggredi poſſit, quem ſuademus, nimirum vir fortis bellum, nobilis & ſapiens imperium, & hujuſmodi.

Qua in re attendenda quoque eſt perſona contra quam res, quæ ſuadetur, eſt ſuſcipienda & quantum virium alteri datum, tantum inbecillitatis illi tribuendum.

Quid rem ipſam ſuſcipiendam intelligit, facilem ſcilicet, aut difficilem, gravem, aut levem, vel ut ſuſcipiatur, vel ut propulſetur.

Ubi locus eſt, quem vel commodum, vel incommodum ad rem perficiendam demonſtrabit orator.

Auxilia facultates continent, & inſtrumenta, quibus res facile perfici poteſt.

Cur habet rationem finis, cujus cauſa res ſuſcipienda ſuadetur, puta bellum, aut ad vindicandam injuriam, aut ad defendendam libertatem.

Quomodo rationem comprehendit negotii perficiendi,

& quaſi præcepta quædam, & documenta, quæ dari ſolent ad illud facilius obeundum.

Quando tempus notat, opportunum ſcilicet, & commodum ad rem facile conſequendam.

Præter hæc ſuaſionem adjuvant leges, præjudicia, pacta, conventa, aliaque ejuſmodi, quibus ad rem ſuſcipiendam obligari videntur auditores. Proderit etiam ad hanc rem adhibere tum recentiorum, tum antiquorum exempla, quæ ſimilia rei propoſitæ proferri debent, & quaſi per partes diſtributa cum re agenda conferri, ut aut illorum eadem eſſe ratio, aut etiam in noſtro negotio omnia faciliora eſſe probentur; quod ſi difficile ſit negotium, erit illa difficultas fructu, & utilitate, vel etiam gloria compenſanda.

De Diſpoſitione Generis Deliberati.

EXordium in hoc genere aut nullum, aut breve eſſe debet; ſufficit enim interdum ut orator proponat qua mente dicat, quid velit, & quibus de rebus dicturus ſit, horteturque auditores ad ſe breviter dicentem audiendum.

Sunt tamen duo tempora, quibus adhibeatur exordium; primum ut ornamentum, & dignitatem habeat oratio, ne temere, ac ſine ratione expoſita videatur; ſecundum ut doceamus, ſi id non ſatis audiditoribus innoteſcat, quanta ſit res, de qua deliberatur, & tunc magno artificio opus eſt. Exordium autem ſumi poteſt primo ab ipſa orationis perſona, ut ſibi auctoritatem, aut benevolentiam conciliet. Auctoritatem vero ſibi conciliabit modeſta ſui commendatione; benevolentiam, vel grati animi ſignificatione, vel profeſſione amoris ſui in cives, & charitatis in patriam; vel deſiderio bene conſulendi, ac de re propoſita dicendi ſtudio. Secundo ab adverſariorum perſona,

ſona, detegendo eorum conſilia, atque fines, quos ſibi in re hoc, vel illo modo ad ſuam libidinem conficiendam propoſuerunt, ut dicantur aut injuſte agere, aut invidere utilitati publicæ, aut nec recte conſentire, aut conſulere, aut propria commoda inquirere, non publica. Tertio ab auditorum perſona cognoſcendo illorum inſtituta, mores, Reipublicæ adminiſtrationem, ut omnia noſtra accommodemus ipſorum ingenio, ex eorum opinione ducamus argumenta utilitatis, & honeſtatis, declaremuſque nos id perfecturos, quod ii maxime in votis habent. Quarto ab ipſa re, magnitudinem, dignitatem, momentum, aut proprietatem auditoribus oſtendendo, ut eos ad audiendum excitemus. In diſſuaſionibus nonnunquam longius principium requiritur præſertim, ſi quæ diſſuadentur, utilia eſſe auditoribus videantur.

Cavendum in hiſce exordiis, ne abrupta ſint, nec concitatam ſemper orationem, & in verbis effuſionem, cultumque affectent.

Narratio ut plurimum non uſuvenit in hoc genere; ſunt tamen duo tempora, quibus adhibere eam occurrit, vel cum aliqua habemus exempla rerum ante geſtarum, quibus utamur tamquam argumenta ad ſuadendum; vel cum auditor docilis fieri debet, ſi nondum ſatis præcepit, in quo ſit tota controverſia, unde orta, quomodo terminari poſſit, aut ſi periculum rei, difficultatem, & magnitudinem ignorat.

Quod ſi nulla narratio occurrat, ſtatim ab exordio ſubjicienda erit propoſitio, quam explicare copioſe, & ſumma cum auctoritate conveniet.

Contentio, ſeu confirmatio eo major eſſe debet, quo minor fuit narratio; itaque poſt jam dicta probatio in certa quædam capita diſtribui debet; quæ tractentur ab honeſto, utili, poſſibili, neceſſario, ut ſupra monuimus. Ad majorem copiam poterit Orator per alia genera excurrere, vel eos accuſando, qui ſunt contrariæ opinionis, vel eos laudando, qui nobiſcum conſentiunt.

Quæritur etiam non tantum, quid utile ſit, ſed etiam quid utilius, examinaturque quid conſecuturi ſimus, & per quod, ut adjudicari poſſit, utrum plus commodi ſit in eo, quod petitur, an plus incommodi in eo, per quod petitur. Quinctil. documentum eſt.

Confutatio eoſdem habet locos, quos confirmatio. Verum præcipua rationum firmamenta quam dilucide ſciatis eſſe diſſolvenda, rationes rationibus, exempla exemplis opponendo; cavete ne cum ſententiæ alicui repugnatis, ejus confutationem per totam orationem ſpargatis.

Ceterum refutatio fieri poteſt, vel diſſolvendo rationes contrariis, vel ſimilia exempla proferendo, eorumque eventus. Si refelli debeant litteræ, quæ in ſenatu recitantur; duobus modis fieri poteſt, vel earum lectione, illas dicendo, & demonſtrando adverſus iniqua poſtulare exceptis ex eadem epiſtola rationibus; vel litteris in manu ſumptis, aut memoria depromptis quaſi per commentarios verbis pene ſingulis, ac verſibus reſpondendo. Habentur exempla apud Cic. Phil. 8. n. 25. & 13. a n. 22. ad 49.

Amplificatio petitur ex duobus capitibus; primo ab exemplis tum recentibus ad notitiam, tum antiquis ad auctoritatem; ſecundo a comparatione utilium, ac neceſſariorum cum honeſtis. Caute tamen orator honeſtis utilia præferat, ac neceſſaria, & ſi occurrat, utilia, ac neceſſaria proponere, ea cum aliqua honeſtate conjuncta proponat. Cum merito dixerit Cleomenes: *Vincat apud nos potius, quod glorioſum eſt, quam utilitas*, & præcipue apud Oratorem Chriſtianum.

Peroratio ſententiam pronunciat, eamque clare, & dilucide, & motus concitat; motus autem excitandi, ſunt, vel deſiderii, cum bona quærenda proponuntur; vel ſpei, cum propoſitis difficultatibus rem facimus obtentu facilem; vel amoris, cum rei bonitatem, honeſtatem, & pulchritudinem, ſeu utilitatem ob oculos ponimus.

In diſſuaſionibus excitantur motus terroris, odii, deſpera-

ſperationis, proponendo res impeditas, difficiles, moleſtas, terribiles, vel metus, enumerando imminentia pericula. Sin autem videamus, hunc motum dominari in iis, quos ſuadere velimus, ille depellendus erit comparando vires noſtras cum oppoſitis, eaſque iis præferendo. In privatis conſultationibus vix motus adhibentur, niſi cum aliquem videmus nobis familiarem in diſcrimen irruere.

De peculiaribus Orationibus in hoc genere.

QUÆ fiunt in hoc genere peculiares orationes, eæ ſunt, ſuaſio, diſſuaſio, conſultatio, hortatio, dehortatio, commonitio, commendatio, incitatio, conciliatio, conſolatio, quarum artificium cum nihil aut parum diſcrepet ab eo, quod per communia præcepta docuimus, nihil eſt, cur nova de iis moneamus; quia tamen tum commendatio, tum conſolatio videntur nova quædam expoſcere ab iis, quæ generaliter diximus, de iis ſingillatim pauca quædam addemus.

Commendatio igitur quæ fit cum alteri aliquem commendamus, reducitur in parte ad genus demonſtrativum: ſub ipſum commendationis initium continere debet laudem illius, quem commendamus, ab iis quidem laudis capitibus, quæ magis faciant ad rem, propter quam commendamus. Cic. perfectæ commend. exemplum habet lib. famil. 2. Epiſ. *6.* & *6.* Epiſ. *9.*

Conſolatio ſi habeatur pro mortuo, confirmationem inſtituit a feliciori mortuorum ſtatu, a communi rerum conditione, a mortis bono, & hujuſmodi.

Si habeatur pro infeliciori fortuna addit in confirmatione communibus fontibus utilitatis, & honeſtatis præcipuam quamdam in afflictum commiſerationem, divinamque in medium affert providentiam, cui reluctari nefas eſſe dicit, pœne ſacrilegum, & prorſus ineptum.

ptum. Ceterum eæ ſingulæ orationes cum in epilogis movent affectum, qui magis convenit rebus, quæ in conſultationem poſitæ ſunt. Nemo fortaſſe ſapientius Senec. conſolatione uſus eſt cap. 11. ad Marcian. &c.

De Genere Judiciali.

GEnus judicale ita dictum fuit, quod verſetur in judiciis, & cauſis forenſibus. Ejus finis eſt juſtum, & injuſtum, illud ut conſervetur, hoc ut propulſetur.

Cauſæ in hoc genere quatuor eſſe poſſunt; prima ſimplex, quæ unam rem, ſeu crimen unum proſequitur, furtum ſcilicet, ſeu veneficium, & hujuſmodi: Secunda conjuncta, quæ plura crimina, vel ejuſdem generis, ut in pecuniis repetundis multa furta; vel diverſi, ut cum quis veneficii, & Sacrilegii accuſatur: tertio comparativa, in qua quæritur non quid æquum ſit, ſed quid æquius, ut cum quæritur, uter de duobus, qui æquali jure diſceptant de hæreditate, ea dignior ſit: quarto mutua, cum alter alterum accuſat, ejuſque duæ ſunt ſpecies; prima qua accuſatores ſibi idem crimen intentant; altera, in qua diverſa crimina ſibi objiciunt, ut cum qui furti accuſat alium, ab eodem accuſatur homicidii.

Ex cauſis naſcitur ſtatus, qui cauſæ dicitur conſtitutio, idemque naſcitur ex intentione accuſantis, & defendentis depulſione. Ex variis autem diſceptandi rationibus varii naſcuntur ſtatus; vel enim factum negamus quod objicitur, & hinc naſcitur primus ſtatus, qui dicitur conjecturalis, in quo quæritur an factum ſit; vel quod factum fatemur, negamus illam habere vim, atque id eſſe, quod adverſarius criminatur, & hinc naſcitur ſtatus definitionis, in quo quæritur quid ſit; vel quod arguitur, non negatur factum, ſed tale eſſe, quale dicitur, & rectum eſſe defenditur, & hinc naſcitur ſtatus qualitatis, in quo quæritur quale ſit. Verum ad ſtatum cauſæ ſex gradibus aſcendi ſolet; in

omni

omni enim diſceptatione primus gradus eſt accuſatio, ut Milo Clodium occidit, ex ea fit defenſio, jure occidi quæ eſt ſecundus gradus; hinc contentio, an jure occiderit, quæ eſt tertius; huic additur quartus, in quo eſt ratio ad depellendum crimen, jure occidit, quia inſidias ei poſuerat; hinc naſcitur quintus, qui rationem continet accuſatoris ad labefactandam rationem rei, ut non licuit ei inſidiantem occidere, & hinc ducitur firmamentum, ex quibus omnibus oritur ſextus, qui dicitur diſceptatio, in qua quid veniat in judicium quæritur, liceat ne inſidiatorem occidere; advertendum tamen ſex hiſce gradibus ad ſtatum conjecturalem non aſcendi, qui tribus tantum contentus eſt, ſed ſolum ad ſtatum qualitatis, & defenſionis.

Præter hoſce tres gradus cauſarum ab aliquibus additur ſtatus, qui dicitur aſſumptivus, & per hoc ab aliis diſtinguitur, quod ejus probationes extraneæ ſunt, & foris petitæ, quæ factis efferant excuſationem. Hæc autem defenſio infirma eſt, & debilis, & quodammodo quoddam reis perfugium.

Præterea plures oriuntur controverſiæ ſcripto, & primo cum quæritur quid ſcripto ſignificetur. Quis e.g. teſtamento legavit ſtatuam auream tenentem haſtam. In his verbis ambiguitas eſt, quæriturque an per illa ſignificetur ſtatuam totam auream eſſe debere, an haſtam ſolam: ſecundo cum quæritur, quænam ſit voluntas, & ſententia ejus, qui ſcripſit: eſt hæc e. g. Peregrinus ſi muros conſcendit, capite plectatur; cum hoſtes muros occuparent, peregrinus muros conſcendit, & depulit hoſtes; quæritur an voluntas ejus, qui legem ſcripſit, ſit ut in hoc caſu peregrinus capite plectatur: tertio cum ſcripto ſcriptum opponitur. Duæ, ſunt leges quarum una eſt: Dux ab arce ne diſcedito; altera; dux victor, quod præmium volet, poſtulato. Dux victor ab arce diſcedit; accuſator quod fecerit contra primam legem, ille ſe tuetur ſecunda; hinc quæritur utra lex ſit potior.

De

De Inventione generis judicialis.

INventio generis judicialis tum ad accuſationem, tum ad defenſionem, pendet ab aſſumptis locis factorum, & rerum; ii autem continentur omnes in adjunctis, antecedentibus & conſequentibus cauſis, & in locis omnibus extrinſecis; cum diſtinctione tamen, ut alii faciant ad ſtatum conjecturæ, alii ad ſtatum definitionis, alii ad ſtatum qualitatis. De illis ſatis diximus, cum de locis oratoriis, ea huc referatis.

De Diſpoſitione Generis Judicialis.

EXordium artificioſum eſſe debet quam maxime, in quo ſemper auditor docilis, attentus, & benevolus reddendus eſt, & ea quidem ratione, ut ſtatim a principio, vel attentus, vel docilis, vel benevolus fieri debeat. Benevolentiam captabit orator primò a propria perſona, ſi vel extenuet virtutes ſuas, & eloquentiam, vel oſtendat ſe non leviter angi difficultate agendi, & officio ipſo accuſandi; vel doceat ſe quodammodo opprimi auctoritate, gratia, potentia partis oppoſitæ; vel dicat ſe ad dicendum veniſſe, ut exiſtimetur ſuſcepiſſe illam cauſam ductus officio cognationis, & amicitiæ; aut alia ex cauſa, ſeu honeſta ratione, quæ ſemper videtur neceſſario afferenda. 2. ab adverſariorum perſona, ſeu eorum, qui cum illis conjuncti ſunt, quod ita tractari debet, ut in invidiam, & odium adducantur, detegendo eorum fraudes, crimina, corruptelas, & hujuſmodi. A perſona Judicum, vel eos commendando vel declarando, quam ſpem concepimus de ipſorum integritate, vel obſequendo, vel mitigando eorum naturam, ad quod neceſſe erit eorum mores

mores cognoſcere, vel aliqua de eorum officio attingendo cum laude, leviter tamen ne tam doceri, quam exorari, & laudari videantur. 4. A cauſa, vel ex ea deſumendo aliquod grave dictum, ſeu ſententiam maxime probatam a Judicibus, vel ejus magnitudinem exponendo, ut ſi dicamus conjunctam habere ſibi Reipublicæ, aut civium ſalutem, vel aliqua conſiderando de ipſius conditione, eumque affectum movendo, quem ipſa poſtulat, ut ſi in ea gravi aliqua affecti injuria, miſericordiam in nos, invidiam, & odium in adverſarios conciremus.

Ab adjunctis, temporis ſcilicet, loci, aliarumque circumſtantiarum. Attentio captatur vel ſi rem novam, atrocem, & magnam, atque ad exemplum pertinentem agere dicamus, vel ſi pauca nos dicturos, eaque tantum, quæ ad cauſam pertinent, promittamus.

Docilitas comparatur clara partitione, rerumque dicendarum diviſione, tunc maxime cum cauſa videtur involuta multis rebus; at cum judex nimium adverſario attendit, ab illa nimia attentione avertendus erit, quædam imminuendo, vel elevando.

Narratione non opus eſt, ni forte accuſator, cujus eſt factum exponere, minus fideliter illud narraverit, vel aliquid omiſerit, quod reo favere poſſit. Cum illam adhiberi oportuerit, ſi quando perſpicua, & probabilis eſſe debuerit, maxime in hoc genere eſſe debebit.

Præterea ita componenda eſt, ut cauſæ noſtræ æquitatem, nequitiamque adverſariorum ſubjiciat oculis, conformandaque judicum moribus, & auditorum, ut oſtendamus adverſarios maxime in eo peccaſſe, a quo omnes potiſſimum abhorrent, quod quidem ultimum pluribus modis præſtare poteſt; 1. oſtendendo propenſionem cujuslibet ad vitia, & virtutes, qua impulſus aliquis hoc, vel illud prælegit. 2. exprimendo ea, quæ ab illis moribus oriuntur, ut incedat hoc, vel illo gradu, furens, anhelans, titubans, & hujuſmodi. 3. Si res videatur incredibilis, cauſas proferendo, quæ ad eam

eam impulerunt; quod ſi nulla legitima cauſa inveniatur recurrendum erit ad primam illam libidinem, quæ cæco impetu huc, vel illuc homines proripit. 4. Si res aliqua crudelis, & atrox apponatur, tunc concitandi ſunt motus animorum graviores per exclamationes, objurgationes, reprehenſiones, comminationes, increpationes, & hujuſmodi. Sunt etiam narrationes quædam totæ flebiles, quibus atrox alicujus maleficium, naturæque immanitas, aut innocentium pæna exponitur. 5. Quia duplex narratio, altera, quæ ſummas rerum colligit tantum, altera quæ ſingula exponit: hæc ſecunda adhibenda eſt, quotieſcumque permovendi ſunt auditores, prima vero cum rei geſtæ ſeries, aut nobis non multum favet, aut ingrata eſt auditoribus, aut communis, & trita.

Confirmatio, vel ſimplex eſt, quæ crimen unum, vel conjuncta, quæ plura complectitur. Si ſimplex eſt, quæ firmiſſima ſunt, partim in principio collocentur, partim ad finem reſerventur, quæ autem mediocria, in mediam turbam conjiciantur. Si conjuncta, & accuſemus, quo ordine crimina a reo commiſſa ſunt, eo a nobis referantur, ſi vero, quæ poſtremo facta ſunt, leviſſima ſint, ea nunquam in fine collocanda. Tunc etenim notanda tempora, dignitates, & officia, in quibus ſeſe reus exercuit, & crimina, quæ quoquo tempore, aut officio ſuſceperit, quorum graviſſima quæque primum, & poſtremum locum obtineant, cetera vero medium. Notandum unumquodque crimen probandum eſſe ex locis, qui pertinent ad ſtatum, in quo cauſa verſatur, ut ſingula argumenta vehementer proponantur, hoc eſt, ut ſtatim initio conglobatione criminum omnium utamur, qua reus obruatur, & judex obſtupeſcat. Ubi crimina conglobata fuerint, erunt comprobanda, & confirmanda tabulis, decretis, teſtimoniis, accuratiuſque in ſingulis commorandum; quod certe fiet, ſi vehementiori aliquo motu crimen augeamus. Aliquando inſtandum eſt, acriuſque urgendum, interrogandum, minandum, blandiendum, & egreſſio-

nes

nes etiam adhibendæ ſunt. Nonnunquam propoſitis rationibus in amplificationem graviorem exardeſcit Orator, ſæpe lenta gravitate pondus adjungendo iis, quæ dicuntur. Si defendimus eodem ordine utemur, quo uſus eſt adverſarius, quem tamen mutare poſſumus, & leviſſima primo refutare, partim ad extremum remittere; firmiſſima in medium locum conjecta, aut obſcurare dicendo, aut digreſſionibus obruere. Denique optimi oratoris erit, quid judices, quid res poſtulent, ſemper advertere.

Peroratio ſi accuſemus, iræ præcipuæ, & indignationis motus, ſi defendamus, conqueſtionis, ſeu miſerationis ſunt excitandi; tametſi cum defendimus, iram movere poſſumus in injuſtos accuſatores, dum accuſamus, miſericordiam in alium. Præter hoſce affectus alii etiam pro rerum opportunitate excitantur, ut odii, pudoris, amoris, miſerationis, doloris, lenitatis, miſericordiæ per frequentes hypotipoſes, Apoſtrophes, deſcriptiones, proſopopejas, contentiones, de quibus ad ſatietatem ſuperius.

Hæc ſunt generalia præcepta, quæ pertinent ad artificium orationis in genere judiciali; ea monenda ſuperſunt, quæ ad particulares quaſdam orationes ſpectant, & primo dicendum.

De Oratione accuſatoria.

IN qua modeſtiam præſeferre debet Orator, & molliter, ac frigide profiteri neceſſitatem actionis.

Exordium ſumi poteſt primo a deploratione temporis preſentis, in quo non tantum admittunt ſcelera, ſed etiam palam de iis gloriantur impii, & impunitatem ſibi pollicentur, quod in reo probandum eſt. 2. ab inſolentia eorum, qui crimina approbant impune; 3. a neceſſitate accuſandi, vel ex publico privatoque bono, vel ex damnis crudelitatis arcendis, ſignificata; 4. ab ipſa perſona, vel crimine, cujus ipſa accuſatur.

Nar-

Narratio, quæ dilucide, ac robuſte crimina referre debet, non tam ad pompam verborum, quam ad rei damnationem inſtitui debet, & ab illa rej[illegible] argumenta levioris momenti.

Confirmatio acute crimina colligit, exponit acriter, tabulas profert fideliter, teſtes producit religioſe, nec tantum ſcelus urget, ſed quare, quomodo, quando illud admiſſum ſit, manifeſtum adducit argumentis: Cauſas adjuvantes, & inſtrumenta proponit, quibus ad maleficium uſus ſit; Egreſſionibus exagerationes temperat, profitetur interdum callide, ſe plurima modeſtiæ cauſa prætermittere.

Peroratio motus habet iræ, vel odii graviores.

Quod ſi judices timeantur molliores ad vindictam, ex rei autem ſalute detrimentum Reipublicæ ſit futurum, per repetitionem graviora ſcelera commemorabit, docebitque impunitatis ſpem fore periculoſam peccati illecebram.

Ceterum conſideret accuſator qualis in judicium reus vocetur, rationem habeat dignitatis, & auditorum, temere quidquam non profundat, paucis crimen notet, & ita ſe gerat, ut de re non de homine dicere videatur. Si accuſatio ſit apud Judices, rei delatio gravior eſſe debet, & honeſta, & ita tractetur, ut non invidia, non odio, non ſpe præmiorum, ſed oppreſſæ innocentiæ miſericordia, improbitatis odio, & communis utilitatis ratione, ad id munus, & officium impelli Orator videatur.

De Oratione Apologetica, ſeu Defenſione.

EXordium petitur a diverſis circumſtantiis locorum, perſonarum, tum ejus, qui defendit, tum ejus, qui defenditur, & apud quos defenditur, ab erroris confeſſione, a cauſis ſuſceptæ defenſionis, ab judicum clementia, da qua dicendum, optimo cuique timendum

dum eſſe, ſi ea ab judicibus exularet. Benevolentiam conciliat, ſi dicat, quod judices ſperet ſe habiturum propitios, daturos aliquid humanæ fragilitati; vel de perſona, quæ accuſatur, adſerat, quod præcipiti odio, aut aliquo alio affectu graviore, aut ſuis damnis laceſſitus, crimen admiſerit; vel ejus ante actæ vitæ virtutes, meritumque in Rempublicam commemoret; vel de adverſarii perſona, ſolitam ejus nequitiam, ac ſcelera, & inveteratum odium exponat.

Narratio refutationem continet, potiſſimam defenſionis partem: præcipua tantum accuſationis capita aſſumuntur, interdum ſingulæ accuſationis partes diſcutiuntur, mox tota adverſarii calumnia breviter contrahitur, rejectis per contemptum iis, quæ plus malitiæ, quam probabilitatis habere cenſentur. Item non tantum adverſariorum ſenſus noſtris comprehendi ſententiis; ſed ipſamet eorum verba commemorantur, & per partes confutantur ſcriptis codicibus, qui modus purgationis aptior eſt, quam pronunciatis orationibus modo cauſæ impellentes, tum internæ, tum externæ proponuntur, quod metu ſcilicet, aliiſque concitationibus affectus, damnis, vel injuriis laceſſitus ſcelus admiſerit. Modo adhibentur circumſtantiæ, temporis, ac loci, quibus oſtenditur, id agendum fuiſſe, vel gravius damnum publicum, & privatum ſubeundum, vel illi certe, qui defertur, pereundum.

Proderit etiam exempla proferre eorum, qui cum majora, vel certe paria ſcelera admiſerint, veniam,& vitam ab judicibus impetrarunt.

Epilogus ad preces confugit per brevem repetitionem meritorum ejus in Rempublicam & earum rerum, quibus veniam, & ſalutem mereri videatur. Ceterum cum multiplices poſſint eſſe perſonæ, quæ in defenſionem veniant: multiplex quoque poteſt eſſe defenſio. Si enim qui ſe purgare conatur, manifeſtis teneatur indiciis, ille excuſationem facti quærat ex adjunctis, & circumſtantiis pluribus; ſin autem innocens, qui accuſatur, ille innocentiam prætendat. Si ad viros

Principes habenda ſit defenſio, miti potius veritate, ac prudentia monendi ſunt, quam temere verbis paulo liberioribus irritandi. Orationis hujus Ideam vide apud Livium lib. 41.

De Invectiva.

INvectiva ad hominum mores ſtringendos accommodata duplex eſt, una in homines, quæ non eſt uſurpanda temere, niſi publica notentur infamia, vel nullum bonæ ſpei locum relinquant: Altera in hominum corruptos mores invehitur, & prima longe hæc melior eſt. Quæcumque illa ſint, cavendum, ne liberius fræna maledicentiæ laxemus.

Exordium ducitur, vel ab admiſſo ſcelere, quod explicari debet: vel a cauſa magni momenti, & ad ſtatum Reipublicæ pertinenti; vel a perſona, in quam invehit, quæ deſcribenda eſt; vel a circumſtantiis loci, temporis, & hujuſmodi.

Narratio, vel vitam omnem a Puero incipit, ſingulaque momenta percurrit cum verborum apparatu, vel certa quædam capita deſumit ex pluribus, quæ ſibi proponat exagitanda.

Confirmatio vitii perniciosos effectus expendit, contraque pietatem, leges divinas, & humanas, Patriæ mores, majorumque inſtituta eſſe, contendit.

Per amplificationem recenſet incommoda, quæ inde vel ſequuntur quotidie, vel in poſterum ſequi poſſunt, niſi judices ſæviant in auctores. Per Comparationem multorum, qui ob ſimilia, vel etiam minora crimina graviter affecti ſunt, urget hujuſmodi hominem, dignum eſſe extremo ſupplicio, exilio, & hujuſmodi.

Nonnunquam in invidiam, & odium perditum hominem vocat; ſi præſertim beneficiorum immemor, quam tueri debuerat, Rempublicam everterit. Tractatur interdum per argumenta, & figuras, quæ ad intimos ſenſus percellendos plus habeant virium.

Epi-

Epilogus graviores affectus ciet, iræ, odii, invidiæ, pudoris, & aliorum effectuum, quibus criminis atrocitas urgeatur, & judices ad pænas repetendas accendantur.

De Objurgatione.

OBjurgatio, quæ eſt ſuperioris ad inferiorem reprehenſio, dicitur, quæ ſibi proponit emendationem ejus, qui contra officium, & honeſtos mores aliquid peccaverit. Quare cum duræ cervicis hominibus ea debet eſſe intonans, minax, intentanſque pænas; cum illis vero, qui mollis animi ſunt, pavidique ingenii, fruſtra laboratur, ſi ſeveritas induatur.

Exordium peti poteſt: vel a vituperatione perſonæ, ſeu facinoris admiſſi; vel a rei turpitudine, criminis atrocitatem explicando, cui etiam adjungi debet timoris motus, & oppoſitio vehemens; vel ab admiratione, quæ & rei novitate, atque inſolentia naſcatur, ubi & exprobari poterit jactantia inanis, & fiducia, præſertim, ſi ignaviæ ſcelus reprehendatur; vel a ſpe virtutis ejus, cui tradita fuerat Reipublicæ ſalus, quam tamen ſubſtinere non potuit: vel a dubitatione, quando dubius erit Orator, quo nomine ſcelus, quod arguitur, appellet. Interdum etiam cauſam, cur queramur, expendit; nempe quod res acerba contigerit ex factis ejus, quem verbis emendamus; quod in apertum diſcrimen homines, & negotia per imprudentiam, aut animi demiſſionem adduxerit.

Narratio non tam objurgationi neceſſaria eſt, quam commoratio quædam in reponendo crimine, quod per hypotipoſim ſubjici oculis debet, ut ejus gravitate, vel feritate moveatur is, quem reprehendimus; Obſervandum tamen eſt, ne alio nomine crimen vocemus, quam convenit.

Confirmatio exagerationem criminis continet, quæ & fit pene tota per adjuncta loci, temporis, perſonarum, & hujuſmodi.

Epilogus acrimoniam orationis verborum lenimento mitiget, quod facile fiet, ſi noſtram objurgationem ab amore proficiſci viderit is, quem objurgamus. Proderit rejicere culpam in aliam, ſcilicet in ſubitum furorem, vel in alios, qui ad id excitaverint, quibus ſubjici poterit veniæ promiſſio, totiuſque injuriæ oblivio; quod ſi aliquid ſupplicii ſit imponendum, id fieri non tam ad repetendas pænas, quam ad eos in officio retinendos, & ad pænitentiam adducendos dicetur.

Nonnunquam atrocior eſſe poteſt Epilogus, & tunc ex ante dictis exagerabitur turpitudo contracti dedecoris. Addi aliqua poterunt ad excitandos motus ſpei, metus, amoris, præſertim ab honeſto. Poſſunt & minis admiſceri preces, ut ii flectatur aut terreatur illis; ita tamen, ut omnia magis ad amorem, & lenitatem inflectantur.

Tandem propoſitæ emendationis finem conſequemur, ſi eam quam concepimus, bonam de reo ſpem aperiamus, & fateamur.

De Expoſtulatione.

Expoſtulatio dicitur gravis quædam quærimonia. Cavendum ne fiat ob leves cauſas, & ſi rem damnamus, voluntas eſt excuſanda. Inſuper habenda eſt ratio eorum, apud quos, & ob quas injurias fiat expoſtulatio, utendumque in omnibus prudentia, ut non ulceremus plagam, quam ſanare cupimus; præſertim ſi apud ſuperiorem poteſtatem conqueramur.

Exordium duci poteſt a laude, & commemoratione beneficiorum, quæ in eos contulimus, apud quos querimur; vel ab ipſis injuriis, quas patimur, præſertim cum noſtro jure utimur, nec jam precari opem, & auxilium poſtulemus; vel a quadam excuſatione, qua profiteatur Orator ſe non ſua cauſa, ſed honeſtatis, aut alienæ voluntatis expoſtulationem aggredi. Interdum

dum etiam malevolentiæ ſuſpicionem amovet, & per dubitationem eruditam nititur de amico queri: aliquando ſimulat dolorem, ut gravior fiat conqueſtio.

Narratio exponit injurias, aliquando etiam prius venia petita, & conquerendi facultate.

Confirmatio poſt injuriarum expoſitionem amplificat eorum magnitudinem, & cum læſæ perſonæ patientia confert, cujus rei teſtes nonnunquam producit; Deſcriptiones adhibet, proſopopæjas, hypotipoſes, &. alia dicendi lumina, quæ motum animorum excitant.

Epilogus precibus ad eos confugit, a quibus ſolis remedium expectari poteſt, quo in loco affectus excitat miſericordiæ, clementiæ, ac metus.

Si expoſtulatio privata ſit, nudam, & apertam narrationem poſtulat, & nonnunquam excuſationem potius, quam accuſationem adhibet. Tamen in expoſitione injuriarum amplificare poteſt earum gravitatem, ſi præter merita, atque adeo contra jus oſtendantur acceptæ.

Confirmatio, aut brevis, aut fere nulla eſſe poteſt, in qua per præteritionem profiteri debet Orator, ſe generoſo ſilentio multa ſupprimere.

Quæ tamen confirmatio tum eſt adhibenda, cum tales ſunt injuriæ quæ ultra diſſimulari nec poſſint, nec debeant, præſertim, dum majora timentur.

Concluſio vehementem excitat dolorem cum interpoſitis minis, quibus etiam aliqua deprecatio adjungi poteſt, habita ſemper dignitatis ratione.

De Exprobatione.

HOC genus orationis exprobat beneficia in alios collecta; quod quidem fieri debet opportune, & e re illius, qui beneficium accepit.

Exordium teſtatur & appellat conſcientiam illius, qui labem ingrati animi contraxit, eamque grandibus

bus ſententiis ob oculos ponit, ut vitii turpitudinem primo aſpectu cognoſcat, & cum dolore condemnet.

Narratio rem totam artificioſe proponit, in qua & noſtra in illum beneficia, & ingratum illius in nos animum amplificamus.

Confirmatio duas habet partes; in prima benificium commemorat, ſed ex acceptarum injuriarum impulſu; in altera exponit, & amplificat alienum maleficium, quod fiet, ex hypotheſi deſcendendo ad theſim.

Epilogus timoris, & verecundiæ motus excitat.

De Comminatione.

IN hac Oratione totus eſſe debet orator, ut timorem inferat ei, cui minitatur.

Exordium abruptiſſimum eſſe debet, ut velut ex inopinato feriat.

Oratio tota conciſa erit, concitata, minax, gravibus ſententiis, & axiomatibus redundans, non tamen affectata, & puerilis. Adhiberi ſolet vehemens amplificatio ſceleris, aut facinoris, cui ſupplicium intentatur, in qua longiori verborum tractu ſeſe efferat Oratio. Fingere poteſt orator, vel ipſam ſceleris cogitationem, & memoriam adeo atrocem eſſe, ut ad eam vel graviſſimi viri perhorreſcant. Interdum etiam ne motus langueſcat, utetur communicatione, & pedetentim progredietur. Præterea rem ipſam, ac futurum incommodum ita clare deſcribet, ut jam non dici, ſed cerni oculis videatur.

Concluſio optationem, & adhortationem continebit, ne oratio ex odio, & malevolentia videatur profecta.

De

De Deprecatione.

DEprecatio ſimilis eſt defenſioni; in hac tamen ſupplex venit Orator, cujus erit obſervare prudenter circumſtantias temporis, ac perſonarum, ne incongrue deprecetur.

Exordium ſumi poteſt, vel a qualitate criminis, cui veniam precamur, vel perſonæ, pro qua petimus.

Narratio non eſt, cur crimen exponere debeat, niſi forte occupemus eos, quos offendimus, & tunc omnia ſunt narranda, ac verbis amplificanda, deinde ſubjicienda deprecatio.

Confirmatio in eo conſumi debet, ut per vim argumentorum dandam eſſe veniam ſuadeat, quod quidem præſtari debet primo a perſona læſa, vel lædentis, de quibus ea dicenda ſunt, quæ cuique convenient, ſpectata cujuſque conditione. Sciatis tamen prodeſſe ſemper, ut dilaudetur, qui læſus eſt, præcipue a laude clementiæ, & ut commendetur, qui læſerit, cum ab ante acta vita nulla vitiorum labe reſperſa meritiſque ejus in Patriam & alios, tum a ſpe nempe eum fore perutilem Reipublicæ; 2. A crimine ipſo una cum ſuis circumſtantiis, quæ crimen minuere poſſunt, ut ſi dicatur errorem admiſſum, vel aliorum ſuaſione, vel impetu aliquo iracundiæ. Quod ſi hac actione minus excuſari poterit, oſtendendum nocere illum duntaxat Auctori, & illi ſatis eſſe ſupplicii cogitaſſe, aut feciſſe crimen. Si vero crimen ſit occultum, orator dicat non prodeundum illud in vulgus, quia ejus tupitudo ad vindicantem redibit; 3. A ſupplicio inferendo, de quo quæri poteſt, cur inferatur, & cum certum ſit inferri illud, ne reus amplius peccet; polliceri debuerit Orator ex illius bona indole ſpem vitæ melioris, ſuamque auctoritatem interponat, & pro eo reconciliando, ſi opus fuerit, ſpondeat; oſtendat quoque jam odium concepiſſe in ſcelus, ut ſupplicii ad emendationem non

opus

opus videatur. Ad Clementiam excitandam dicat eum, qui peccavit, ſic affligi dolore, & concuti metu, ac timore, ut miſericordia dignus videatur meminerit tandem ſervandum eſſe decorem.

Epilogus vehementiſſimos motus contineat, & ſi ad parentem agat, orabit, ut meminerit in filium agi, non in ſervum, obſecretque, per majorum cineres, per clara facinora. Si vero ad ſuperiorem agat, imploret ejus Clementiam aliis exhibitam in atrociori etiam flagitio, proferat exempla majorum ejus in re ſimili, fidem & obſequium perpetunm polliceatur, captet interdum benevolentiam, dicatque, quidquid accidat, ſe contentum fore ejus judicio &c.

F I N I S.

Ad Laudem Dei, ſemperque Virginis Mariæ, & Reliquorum Sanctorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

005653393
Digitized by Google

Digitized by Google